

1/ de monte de conflictu  
Statutorum =                      1727

2/ Becker annotationes  
et additiones ubi in fuffliff.  
wollniffen landordnung = 1723

3/ von althoven ubi in  
gülich und bergiffen landordnung 1760

4/ Schutz Tractatus de  
usufructu consuetudinario  
julio montensi                      1731

3 an: Berl. 90





DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
DE  
CONFLICTU  
STATUTORUM,

QUAM  
SVb Certo DIVInI NVMInIs AVspICIo,\*

NEC NON



VirgInIs regem enIXæ ConCertantI  
sVbsIDIo,\*

PRÆSIDIBUS

PRÆNOBILIBUS, CLARISSIMIS, CONSULTISSIMISQUE  
VIRIS AC DOMINIS,

DOM. ERNESTO SALENTINO  
WALTHERO CURTIO J. U. DOCTORE,  
Almæque Facultatis Juridicæ Coloniensis  
Dictatore,

NEC NON

DOM. PETRO DE MONTE  
JURIS UTRIVSQUE DOCTORE,  
Ejusdémque Facultatis Fisco, ac Liberæ  
Imperialis Reipublicæ Coloniensis  
Senatore,

*Pro Inauguralibus Honoribus adipiscendis*

*In Publico Ubiorum Juris Auditorio*

IngenVæ CrIsI cXagItanDaM sVbllCIet\*

JOANNES HENRICUS MORASS  
COLONIENSIS,

Anno 1727. Die 21. Augusti. horis ac locis consuetis.

Coloniz Typis Viduæ PETRI THEODORI HILDEN,  
Cum Privilegio Veneranda Facultatis Juridica.

L. D. R. 28 (4°)  
we

terge Minas aD Coronas eX Vbere Venâ aLLVslo.\*

Vrbs CVpls eX terno totIDeM qVæ rege Coronas,\*  
Vrbs Cape, VltVtVM Digna præsse CapVt!\*  
IVstItIâ, pletate, fIDE, VeL CVLta trIVMphIs\*  
VIVe trlbVs; LaVDans pLVra trophæa CanaM.\*



VotVM faVens In VnDenas sCVtI faCes.\*

DIVa ter Vrbs saLve LVnata, CoæVa Marla,\*  
VrsVLa CVI LaVrVs, Magna trophæa Del!\*  
DIVa ster ILLa Del FIDIs aqVILaqVe sVb ALLs!\*  
æthra Dat hoc sCVtVM; tVtVs esse neqVlt.\*

PERILLUSTRIBUS, STRENUIS, AMPLISSIMIS  
 CONSULTISSIMISQUE VIRIS AC DOMINIS,  
 D. ANDREÆ DE WIDENFELDT  
 D. JOANNI NICOLAO DE KRUFFT  
 Liberæ Imperialis Civitatis Colonienfis  
 CONSULIBUS pro tempore REGENTIBUS,  
 D. HERMANNO JOSEPHO DE WEDIG  
 D. NICOLAO DE GROOTE  
 CONSULIBUS pro tempore QUÆSTORIBUS,  
 D. JOANNI PETRO DE HERWEGH  
 D. ARNOLDO JOSEPHO DE MYLIUS  
 PROCONSULIBUS,  
 Cæterisque Dominis SENATORIBUS,

Perillustres, Strenui, Amplissimi Consultissimique  
 Viri ac Domini,  
 DD. CONSULES, QUÆSTORES  
 ac PROCONSULES, cæterique respectivè  
 DD. SENATORES Liberæ Imperialis Civitatis  
 ac Reip. Colonienfis, Optimates, Patroni ac  
 Meccenates jugi observantiâ Colendisfimi &c. &c.



*M*irantur alii ac celebrent Pandoram, quasi perfectæ  
 artis prodigium, quam Hesiodus, vates Homero  
 coævus, fingit esse mulierem primam, de mandato  
 Jovis à Vulcano arte fabrilis maxime subtili effor-  
 matam; cujus ad rari operis splendorem divinius  
 augendum omnes ac singuli Deorum Dearumque  
 sua certatim dona & charismata, Juno majesta-  
 tem, Pallas sapientiam, Venus formæ præstā-  
 tiam, Phœbus expeditam musicen, Mercurius  
 facundiam, alii dotes alias in gradu eminenti spectabiles contulerunt  
 mirabor ego potius, ac justius celebrabo Augustam ad Rhenum Coloniam  
 genuinam Sanguinis Romani Propaginem, fidelem Deo ac Casari Filiam  
 nec Imagine Lunæ (quam situs monstrat Dimidiam) ullatenus varian-  
 tem; quam non influxus Deastrorum fictitius, ast providus ordo Æthe-  
 ris, coæva Virgo Deipara, Sacra Magorum Trias, SS. Ursulæ ac Ge-  
 reonis Societas, & frequentes inter turbas ac turbines immota & incon-

*missa Religio ultra mortalis gloria spheram super Astra dudum elevarit.  
 Hanc ego Pandoram suspicio ac veneror Natalem Coloniam, cuius ab ortu  
 ac in progressu glorioso encomia siconarer dicendo persequi, tenuitas non  
 dicam mea, sed Tulliana ubertas facundia confusa succumberet, quod  
 majora numero, pondere ac mensurâ laudum momenta breviora pagellâ  
 complecti tentavisset. Unum verò tanta inter Ubiarum laudum fastigia  
 humili stylo praterire non debui absque piaculo, quod (Fastis plus satis  
 testantibus) à fausto Regiminis suscepti primordio Libera hac Imperialis  
 Civitas & Respublica, sive Roma quasi altera, pluribus externorum laborâ-  
 rit odiis, petita sit insidiis, lacesita insultibus, & decretorio quasi sub  
 victu quandoque steterit, adeo ut Tres primævæ Ubiaci Agalmatis Cuspides  
 ab hostili seu virtute seu dolo obtundenda, sive Tres Coronæ Scuti, exin-  
 de succedentes, hostibus in spoliū quasi cedenda viderentur. Ast mali-  
 gna hæc fata insigni Calorum gratiâ semper enervavit victrix Agrippina,  
 tela casso Jove missa retudit, ac pro Libertate Patriâ, tanquam pro  
 aris ac focus decertando, sub invicto Strenuorum DD. Consulū ac  
 Senatorum Ductu ac Clypeo tot in arduis Jurisdictionum Conflicti-  
 bus Palmas hucusque virentes non sinè immortalis famæ gloriâ reportavit.  
 Quid proinde subditorum infimus duxissem consultius, quàm à Strenuita-  
 tibus ac Dominationibus Vestris, ut pro suscepto Statutorum Conflictu in are-  
 nam descensurus de speratâ Licentiæ Palmâ essem certior, expedita subli-  
 mis consilii ac prudentiæ vestræ Tela & vires condignas mutuari? quid  
 æquius, quàm Tricoronato me Scuto ad fortius ac felicius confligendum  
 obarmare? quid dignius, quàm sub Perillustri DD. Meccenatum auspicio  
 in hoc publico Juris Lycei campo contendere? Vestra Optimatum in Clavo  
 cerum gubernando Prudentiam mihi quasi Theseo Ariadna instar hoc in  
 ancipiti Statutorum Labyrintho filum subministrat; Vestra in domandis  
 hereseon monstris, atque a vitâ libertate propugnandâ fortitudo Hercu-  
 leam quasi Clavam porrigit; Vestra in decernendo insignis Justitia nul-  
 lis fascinanda personarum aut munerum respectibus, Vestra Dignitas  
 cum primarum Europæ urbium gloriâ facile conferenda; Vestra Pa-  
 tronorum Gratia me ad Theses Crisi Examinis audacter exponendas ani-  
 mant & felicem ex arenâ Conflictūs victoriam non abs re pollicentur.  
 Quare Theses quâ prædevoti respectus mei obsides oculorum vel uno DD.  
 Meccenates respicite, luctanti favore gratioso assistite, ac subditum Clie-  
 tem arctius humanitate immeritâ obstringite; qui omnimodam prosperi-  
 tatem Regiminis, plenamque mensuram longissimam in systemate pleno  
 sanitatis animitus comprecando emorior*

**Perillustrium Strenuarumque Dignitatum  
 ac Dominationum Vestrarum &c. &c.**

Devotissimus Cliens ac Servus  
 JOANNES HENRICUS MORASS.



## P R O O E M I U M.



Requentem hodie dūm ubivis in foris occurrentem materiam de *Conflictu Statutorum* pro Sacrarum Legum ac Canonum Licentiā in hac pervetustā Facultate Juridicā publicè expositurus, è re esse duxi in quatuor illam dividere Capita; quorum Primum *Originem Statutorum*, & quinam *Statuta* facere possint, demonstrabit; Alterum de *Materia Statutorum* tractabit; Tertium *Statuta dividet*; Ultimum, quòdnam in *Conflictu Statutorum* sit observandum, concludet, variòsque Casus ac Quæstiones huic materiæ non inutiles resolvet. *Corollarium* denique, quomodo *Statuta Principum Laicorum* obligent Laicos, & in quibus casibus Clericos, subjiciet. Tuā interim, mi Lector, benevolentia fretus exordior.

## C A P U T I.

D E

*Origine Statutorum in Germaniā, & quinam Statuta condere possint.*

### T H E S I S I.

- N.  UM Imperium Romano-Germanicum in generali complexu, respectu plurimorum suorum Membrorum ut unum consideretur Corpus, ita quòdque universaliter unum in illo viget Jus scriptum Commune, de cuius *Origine* in Germaniā quia dissentientes scribunt Authores, quorum nonnulli Germanos ante Sæculum Quintum post Nativitatem Salvatoris Nostri scribendi legendique peritiā adhuc destitutos fuisse, & penès illos bonos mores, communiāque populi Placita pro Legibus valuisse, post Sæculum demum Quintum circa medium Sæculi Sexti aliquos ex Germanis, ut Francos, Burgundiones, Longobardos, Visi & Ostrogorthos sibi Leges Romanā linguā scripsisse volunt, Stryk. *ad Ufus mod. cit. 1. n. 2.* Alii, Germanos quidem tractu temporis ob continua cum Romanis bella aliquam Romanæ linguæ & Juris sibi parasse notitiam; sed Sæculo primitus Octavo Carolum Magnum, qui Primus omnium omnem penè Germaniam cum Galliā & Italiā imperio suo continuit, in diversas Germaniæ Provincias Leges scriptas introduxisse, & secundum Germaniæ populorum mores ac consuetudines varias Leges sancivisse ac promulgasse, per plura postmodum sæcula plures Constitutiones & Recessus Imperii *Reichs Abscheidt* quos Imperatores Statuum suffragio in Comitibus ferebant, accessisse; tandem ante Sæculum decimum quintum tenuia admodum initia Legum Romanarum in Germaniā apparuisse; Sæculo denique decimo quinto Jus scriptum Justinianicum in Germaniam introductum, usque receptum, imò in Judicio Camerali

B

merali

- merali secundum illud iudicandum, vide *Ord. Cam. de A. 1500 § Ordenen / setzen* à Maximiliano I. Imperatore ceterisque Statibus præceptum esse tradunt *Christ. Lehm. in Chro. Spiren. lib. 42. c. 21. p. 337. Tacit. de Morib. Germ. C. 19. Mull. ad Struv. exercit. 2. tb. 34.* hinc eorum veritatem accuratius perscrutari & veram Juris Originem in Germaniâ scire cupientes remitto ad *Coring. de Orig. Juris in Germ. C. 12. & seqq.* Ac quò me Capitis huius rubrum vocat, pergam. Porro quoniam Imperium Romano-Germanicum è variis compositum est Membris ac Statibus, qui ob inveteratas subditorum suorum consuetudines antiquosque mores Juri Communi contrariantes illud vel in totum vel pro parte acceptare non potuerunt, sed particularia Jura, quæ jus illud Commune omnino abrogabant vel in plurimis articulis illi derogabant *Ord. Cam. p. 1. tit. 13.* suis subditis sanciverunt, quæ vel pro multis provinciis & civitatibus lata & promulgata, ut Jus Saxonicum, vel pro una Provinciâ aut Civitate, ut Constitutiones Provinciales. *Lands, Ordnungen / Statuten / Sondersatzungen* dicuntur; *Mull. ad Struv. exercit. 2. tb. 41.* quorum veram & primordiam originem in Germaniâ ad illa refero tempora, quibus Romanum Imperium in varios Status divisum fuit, quod principaliter circa Annum Christi 1002. contigisse refert *Gal. lib. 1. obs. 21. n. 2.* quo tempore Otto tertius Imperator primus omnium Imperium suum in diversa divisit Membra & Status, Electoresque Imperii constituit, quibus certum subdidit Territorium cum omnimodâ & superiori jurisdictione Territoriali, *Thuan. lib. 2. hist. p. 25.* Quamvis *Lymnæus de Jure Pub. lib. 3. c. 1. n. 3. & seqq.* figmentum esse, quòd Otto Tertius Electores constituerit, sed sensim consuetudine constitutionem Electorum approbatam fuisse sustineat; & *Goldastus Tom. 3. constit. Imp. p. 371.* referens quidem fragmentum des *Reichstag unter Kaiser Otten dem Dritten von Satzung und Ordnung der Churfürsten des Reichs und anderen Ständen* sed p. 16. in *Reichs Handlungen* hanc sanctionem suspectam habeat; ego tamen cum Sententiâ communi Ottonem primò omnium Electores effecisse credo: Hic enim cum Gregorium V. Romanorum Pontificem sibi natione & affinitate conjunctum à populo Romano Consule Crescentio, ejectum vi & armis pristinae Dignitati restituisset, Pontifex, ut sibi tantorum Principum gratiam & favorem conciliaret magisque devinciret, hanc sanctionem tulit: *Imperatorum nullus Hereditariam dignitatem vendicatio. Principes sex, Sacri Ordinis tres, Profani eorundem eum deligunt, hi discordes si fuerint, Bohemia Regem cooptant;* ita referente *Bellarmino lib. 3. de Translat. Imp. C. 2. p. 290.* Quòd verò illo tempore Statuta, qualia in singulis ferè Provinciis & civitatibus hodie vigent, suam sortita sint Originem, non incongruo eò puto ductus argumento, verum enim verò Status Imperii Statuta fecerunt; ergo Statuta suam Originem traxerunt eo tempore, quo Status Imperii Status evaserunt. Non inficiandum quidem est, multos Germaniz populos ut Saxones, aliòsque ante sæculum Decimum particularibus vixisse Legibus; sed has potiùs consuetudinibus, quam Statutis à Domino territoriali latis & promulgatis annumerandas esse iudico.

## T H E S I S II.

10. **Q**uoniam Jus condendi Statuta Secularia, ad majora Principum Regalia, Ecclesiastica, ad præcipua Archi- & Episcopalia Jura pertinet, *Lymnæus de Jure publ. 2. lib. 4. C. 8. n. 253. Coccej. de Jure Publ. C. 22. n. 14. & c. 23. §. 1. n. 3.* illud vi Superioritatis Territorialis, hoc vi Jurisdictionis superioris Ecclesiasticæ competit, *Coccej. d. L.* indubitatum est, omnibus Sacri Romani Imperii Statibus immediatis

- diatis superiorem Jurisdictionem Territorialem habentibus competere Jus condendi Statuta Secularia, *vid. Cap. Leopold. art. 3. und zum dritten in pag. Osnab. art. 5. §. 9. die Freye / omnibus Ecclesiæ Membris superiori Jurisdictione Ecclesiasticâ gaudentibus competere jus condendi Statuta Ecclesiastica.*
11. Porrò Status Imperii sunt primò Electores, inter hos tres Archi - Episcopi, ut Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, sex Sæculares, Rex Bohemix, Palatinus, Saxonicus, Brandenburgensis, Bavaricus, Hannoveranus.
  12. An hi Statuta facere possint absque consensu Statuum Provincialium der *Landständer*? vel absque suffragio Assessorum in Spiritualibus? hoc dependet à cujusque Provinciæ observantiâ & consuetudine; regulariter verò possunt Coccej. *de Jur. Pub. C. 22. §. 4.* humanum tamen esse, quòd absque
  13. consilio Statuum nulla Statuta faciant, dicit Voetz in *Hist. Jul. n. 102.* 2dò
  14. Archi - Episcopi, ut Magdeburgensis, Salisburgensis & alii. 3tiò Episcopi, ut Bambergensis, Leodiensis, ceterique. 4tò Principes Sæculares
  15. et Comites Duces, Germanicè *Gefürstete Grassen* / ut Mecklenburgensis, Holsteinensis, Hessensis, Nassoviensis & plurimi alii. 5tò Prælati vel Ab-
  16. bates superiorem Jurisdictionem Territorialem & quasi Episcopalem exercentes, ut Fuldenensis, Hirsfeldensis, Werdenensis. 6tò Ballivix Superioritate Territoriali gaudentes, ut Alsatensis, Confluentensis. 7timò
  17. Comites & Barones proprium Territorium cum altâ Jurisdictione habentes, ut Salmensis, Hohenzöllerenensis, Limburgensis, quamplurimique alii. 8vò Civitates, Imperiales Libere & Civitates Imperiales tantum; quanquam in hoc passu quoad potestatem scilicet condendi Statuta nulla sit differentia inter Civitatem Imperialem Liberam & Civitatem Imperialem tantum; in aliis casibus tamen Publicitæ differentiam
  19. faciunt; absque eo enim, quòd olim Civitates Imperiales Libere die Freye *Reichs* *Stätte* immunes fuisse ab Imperatoris subjectione, in Civitatibus econtra Imperialibus Præfectos Imperatoris Nomine Jurisdictionem exer-
  20. cuisse dicat Coccej. *de Jur. Pub. C. 17. §. 7.* Absque eo etiam, quòd ex Civitatibus Imperialibus Libere nonus, ex Civitatibus verò Imperialibus tantum
  21. decimus sit eligendus Assessor, *vid. Ord. Regi. in Comit. Wormat. A. 1495.* Civitates Imperiales Libere principalem sessionem habent in Imperio, quam
  22. Civitates Imperiales tantum, *vid. Lehm. Chron. Spir. de A. 1497. lib. 4. C. 5.* Inter quas Civitates Imperiales Libere non ultima, sed omnium ferè prima est nostra Civitas Coloniensis, quæ non solum inter Civitates Germanix à temporibus Romanorum Antiquissima est, & à primævo tempore Libera fuit Romanorum Colonia *L. ult. ff. de Censibus. Lymn. t. 3. L. 7. C. 10. n. 1.* sed & à secundo ferè sæculo ad Imperii Comititia citata & deputata fuit, *R. I. de A. 1555. §. 65. Lymn. d. 1. n. 8.* præ aliis etiam Civitatibus & Statibus majoribus Privilegiis & Regalibus gaudet, ut Regali cudendæ Monetæ duplicis generis aureæ & argentæ, quod Statibus omnibus non competit, *Münz* *Ordnung 1555. §. 128.* Jure Stapulæ, multisque aliis privilegiis, quæ *Lymn. Tom. 3. lib. 7. C. 10. n. 17.* recenset, ubi supra *N. 2.* innumeras de alterâ hæc Româ cantat Laudes, ac illi hos Versus appropriat:

Gaudere Fœlix Agrippina,  
 Sanctæque Colonia,  
 Sanctitatis tuæ bina  
 Gerens testimonia,  
 Postquam Fidem suscepisti  
 Civitas Prænobilis,  
 Recidiva non fuisti,  
 Sed in Fide stabilis.

Quis eat inficias, Divino evenisse consilio ac speciali auxilio, ut, attento Amplissimi Magistratus pervigili æquè ac præfelici Gubernio, hæc alma Ubiorum quasi sphaeram laudum supergressa Civitas inter tot ancipitis fortunæ ac belli aleas nunquam alia, sed aviti splendoris ac Fidei tenax, inter urbium vicinarum ruinas & rudera, tanquam in mediis salamandra flammis, illæsa Virgo elusis tot procorum insidiis triumpharit.

23. Præter Status Imperii Statuta condere possunt & quidem in materiâ Ecclesiasticâ imò Legati Sedis Apostolicæ in Provinciis & locis suæ Legationis, Engel. *ad Jus Can. de Constit. Princip. n. 20.* quæ Statuta etiam durant cessante illorum officio & finita legatione. *C. ult. de Officio legati. n. 20.* 2dò, Suffraganei, Vicarii, Administratores in Spiritualibus Archi-Episcoporum de meliore observatione Cultus Divini, Precum ordinatione, similique materia spirituali, qualia verisimiliter ipsis concessa esse supponuntur, statuere possunt, Joannes de Imola *in tres lib. Decret. fol. 206. n. 9.* 3tiò, Capitula Ecclesiarum Cathed. vel Collegiarum Statuta facere possunt, sed talia, quæ ad majorem utilitatem, sustentationem & ornamenta Ecclesiæ, & circa reformationem morum pertinent, vel ad pinguiorem Capituli Oeconomiam tendunt; nullo modo verò Capitula Statuta, quæ Ecclesiæ Statum vel Jus mutare vel alterare possunt, sine autoritate Episcopi sancire valent, Card. de Luca *de Cano. discurs. 19. n. 17.* Leurenus *de Foro benef. p. ult. q. 471.* Pœnalia Statuta transgredientibus Capitulum facere potest. Leurenus *de Foro benef. dicto loco.* Sede vacante Capitulum rite Statuta faciet, etiam ea, quæ Episcopus facere potest, Leur. *dicto loco q. 470. n. 3.* Non tamen Statuta Episcopo præjudicantia: ut v. g. si Statuto tollere vel minuere vellet Episcopus subsidium Charitativum vel alia Episcopo competentia jura, Engel. *ad Jus Can. tit. 2. n. 20.* Facta Capituli Statuta Episcopus revocare potest, Eng. *d. loco.*
27. Leur. *d. l. n. 5.* 4tò, Monasteria Statutis disponere possunt circa ea, quæ bonam disciplinam vel ritum Ecclesiæ promovent, non verò Statuta, quæ Regulam mutant, vel Ordinem vel Religionem alteram absque consensu Pontificis rectè faciunt. Eng. *lib. 1. tit. 2. n. 23.* An autem Religiosi Statuta Superiorum semper acceptare teneantur, quæritur? distinguendum puto: an Statuta nova sint ad abolendas consuetudines, quæ tendunt ad dissolutionem Disciplinæ Monasticæ; & si hæc Statuta imam Regulam duriolem non faciunt, tenentur acceptare. *C. Relatum & ibi Gloss. Ne Clerici vel Monachi.* Statuta verò, quæ Regulam primam duriolem faciunt, ut in exemplo, quod non liceret amplius carnibus vesci, dum aliàs carnibus vesci soliti erant, acceptare non tenentur. Eng. *dict. loco.*

- In Materiâ Civili præter Status Imperii Jus condendi Statuta habent,
30. primò: Civitates Municipales, etsi hæc non gaudeant Superioritate Territoriali, adeoque nec inde competente Leges ferendi potestate, sed Principibus, in quorum Territorio sitæ, sint subjectæ, ac olim non potuerint Leges condere. *Leg. 15. Dig. d. Verb. sig.* Hodie verò inter suos pro lubitu Statuta condere possunt, Muller. *ad Struv. Exerc. 2. thes. 42. Lis. B.* Conrad Zach. *de Jure & Jurisdictione Municip. Cap. 37. n. 1.* Non tamen contra legem Superioris Statuta valent. Card. de Luca *de Jure Patro. Disc. 67. n. 12.* sed an hæc Statuta confirmatione indigeant, Quæres? hoc volunt aliqui absolutè, ut Riminal. *Jun. Conf. 548. n. 11.* negant aliqui, ut Conrad. Zach. *dicto loco.* Utile esse sustinet Voetz *in Hist. Jul. n. 103.* Ego cum Mull. *ad Struv. Exerc. 2. th. 42.* Distinguo: Civitas municipalis est privilegiata, ut Statuta facere possit, & hæc vi privilegii Statuta absque confirmatione rectè condit; si verò civitas destituta sit hoc privilegio, Statuta quidem facere potest ad meliorem administrationem civitatis pertinentia, non verò Statuta seu Leges Civita-
- ria

- tis particulares sine confirmatione Superioris civibus præscribere potest. In hanc sententiam inclinant Card. de Luca *de Judiciis disc.* 35. n. 61. Coler. *de Proc. Execu. parte 1. Cap. 3. n. 12.* Subquæres, quali confirmatione indigeant, expressâ? vel tacitâ per lapsum longi temporis? & quid intersit? R. Tacitam sufficere, sed expressam operari, ut valeant contra Jus Commune. Card. de Luca *d loco n. 62.* Si sit confirmatio Principis necessaria, Statuta à civitate municipali facta post confirmationem revocari non possunt, dat enim talis confirmatio vim & esse Statuto.
36. Secundò & ultimò: Statuta facere possunt Universitates, Collegia Opificum, vel Mercatorum circa materiam universitatem, vel Collegium concernentem, vel ad negotia communitatis pertinentem, qualia sunt,
37. in Tribubus, die *Znnungs Artieulen / Gaffel Gesâtz* etc. sed hæc Statuta ut vim Juris habeant, à Magistratu loci confirmari debent, vide *Recessum Imp. de Anno 1671. §. Unabstellung der Mißbrauch der Handwerker betreffend.*
38. Absque consensu tamen Superioris Sodales Tribuum se per modum Conventionis firmiter obligare possunt, *L. ult. ff. de Collegiis & Corporibus.* Mull. ad Struv. *Exercit. 2. t. 42.* non tamen hæc Statuta utilitati publicæ nociva esse debent. *Carpz. parte 2. Constit. 6. defin. 10, n. 1. & seqq.*

## C A P U T II.

D E

*Materia Statutorum.*

### T H E S I S III.

N  
I.



- Statutorum Materiam in eo consistere, quod Statutum ordinat, permittit, prohibet, aut punit, nemo erit, qui dubitet, unde & *Juris - Consult. in L. 7. ff. de Legibus* dicit: *Legis virtus hæc est, imperare, permittere, aut punire*, atque Engel. ad *Jus Cano. de Constit. Principum §. 2. n. 1. in princip.* materiam legis vocat, quæ justè imperatur, prohibetur, aut permittitur, & hinc à licitâ Statuti materiâ atque justâ ratione validitas vel invaliditas Statuti discernenda est, ideòque Statuta, nisi licita iis subsit materia, & rationabilia, sint, qualia quidem regulariter præsumuntur, *Mæv. p. 7. decis. 53. n. 13.* Invalida sunt, *L. 2. C. quæ sit longa consuet.*, nec à Judice observanda, adeòque nonnunquam quædam Statuta à Camerâ Imperiali, in quâ aliàs secundùm cujusque loci Statuta & laudabiles consuetudines judicari debet, vid. *Ord. Cameral. parte 1. §. 13.* ut irrationabilia reprobantur. *Gail. Lib. 1. obs. 18.* ubi Statuta, quæ in quibusdam locis Marinis vigent, vi quorum, factò naufragio, bona, quæ sunt in navi, cadant in commissum, & ad Dominum fluminis pertinent, à Camerâ Imperiali pro injustis declarata fuisse, imò eam mandata sinè clausulâ contra utentes illis discernere refert; de Jure etiam Canon. pœna excommunicationis in spoliatores naufragium passorum cadit per *Cap. Excommunic. extra. de Raptor.* Eodem modo *Constit. Carol. de Anno 1548.* Statuta majores, quàm quinque in singula centum sumere usuras permittentia irrationabilitatis vitio damnat, & nequidem Principes Imperiî Judæis in suis territoriis majores usuras permittere posse, dicit *Gail. Lib. 2. obs. 5. in fin.* Sub quâ *Constit. Carol.* tamen non cadunt Statuta mercatoribus plures, imò decem & ultra usuras permittentia, illa enim irrationabilia argui non possunt. *Molin. de Usu quæst 84. n. 527.* *Constit. quoque Criminalis Caroli quinti art. 158. in verb.* Eine böse unvernünftige Gewohnheit und Gesâtz. injusta rejicit Statuta vel consuetudines, quæ judici res à fure surreptas sibi retinere, nec partibus læsis restituere, permittunt. Similia injusta ac invalida

C

lida

- lida Statuta refert Reigerus in suo *Thef. Juris. Lit. St. in addit. n. 17.* Ubi Statutum, quo plus offerentibus officia publica vendi permittitur, invalidum dicit cum *Stam. de servit. person. n. 666.* pariformiter *Mynsing. Cent. 1. obs. 14.*
5. Statutum omnem appellationem interdicens, *Argel. de Acquir. poss. p. 117. n. 19.* Statutum omnem testandi facultatem adimens pro irrationabilibus declarat, pluraque alia ejusmodi sortis Statuta recenset *Mæv. adjus Lubec. lib. 4. tit. 13. n. 39. & seqq.* Ad validitatem Statuti ergo justa requiritur ratio atque licita materia, licet aliàs Statutum à jure communi sit valde exorbitans aut in totum contrarians, qualia quamplurima in hac Urbe & vicinis patriis observari quotidiana docet experientia; ad ea enim refero. Statutum communionem bonorum inducens, vigent in hac urbe *vid. Statut. Colonienf. art 10., & à Gail. lib. 2. obs. 78.* confirmatur. Statutum, quod fundatur in *art. 13. Statut. Colonienf.* quo liberi cum ultimo superstite bona dividere possunt, & quidem, ut hæreditas tam mó- quam immobilaris in tres dividatur partes, quarum si pater ultimus superstes sit, accipiet duas partes, liberi etiam; casu verò, quo mater supervixerit, accipiat mater unam, liberi duas partes, quod idem refert *Reig. in thef. juris Lit. St. in additio. n. 4.*
  9. Statutum, quod mortuo filio relictis fratribus & sororibus cum parentibus primi gradus, soli parentes exclusis fratribus & sororibus succedant in bonis defuncti filii, nisi prius cum Filio dividerint, viget in hac urbe & extat
  10. in Amplissimi Magistratús Nostri Colonienfis *Edicto* summariissimi Statutum, quod non valeat fideicommissum neque substitutio fideicommissaria
  11. ultra tertium gradum fundatum in *art. 6. Statut. Colonienfium.* Statutum, quod in hæredem continuetur possessio absque apprehensione, fundatum in dicto Amplissimi Magistratús nostri Colonien. *Edicto* Summariissimi. De quo Statuto quòque mentionem facit *Reig. d. L. n. 122.* Statutum, quod libris mercatorum nulla valeat opponi exceptio, confirmat praxis nostra civica, talèque valere sustinet *Gail. lib. 2. obs. 20.*
  13. Statutum quod refert *Voetz. in Hist. Juliac. 112.* quod nobiles fœminæ extantibus masculis acceptâ dote ab hæreditate excludantur, idem habetur in *Erststiffe Cölnischer Rechts-Ordnung tit. 6. §. 1. in fine.*
  14. Statutum quod exhibent *Ordin. Juliac. C. 95. die Erststiffe Cölnische Rechts-Ordnung tit. 8. §. die Fahrnis /* ubi conjugibus certa attribuitur portio hæreditaria, quæ portio nec testamento invito conjuge minui, minùs adimi potest, *Voetz. in Hist. Juliac. n. 111. ibidem ita judicatum esse referens in causa appellationis Brucken contra Dudenrath Anno 1606. 17. Jan.* Nec fideicommissio gravari *Carpz. p. 3. Constit. 7. definit. 1.* bene tamen inter Conjuges pactis dotilibus mutari, ut, si certa conjugi sit assignata portio, ad portionem hæreditariam reclamare non possit, nequidem prætextu lationis, *Carpz. d. L.*
  15. Statutum extans in *Cap. 74. Ord. Juliac.* quod, ubi plures ex diversis Matrimoniis liberi adsunt, cujuslibet Matrimonii liberi succedant soli in bonis quolibet Matrimonio illatis Patrimonialibus, obventis, acquisitis immobilibus, mobilibus ad liberos ultimi Matrimonii spectantibus, ex quibus debita personalia exsolvere debent.
  16. Statutum inducens jus retractús, quod viget in Ducatu Julix & Mont. ita referente *Voetz. dil. & in Archi-Diœcesi Colon. vid. Erst. Stiffte Cölnische Lands-Ordnung tit. 15. §. 1.* Innumeraque alia Statuta Juri communi contrariantia vel ab illo valde exorbitantia referunt *Auth.;* quæ tamen strictè interpretari debent, *Gail. lib. 2. obs. 33. n. 9.* neque de persona ad personam, neque de casu ad casum, neque de loco ad locum, ne quidem ex identitate rationis extendenda. *Mæv. p. 3. decis. 30. n. 4. & p. 2. decis. 40. n. 5. Carpz. p. 2. C. 6. def. 3* Sed ita interpretanda sunt, ut vel minimum operentur effectum contra jus commune, *Reig. sep. loc. n. 25. Brunn. in Cod. lib. 3. tit. 41. L. 2.*

ulla  
dane  
uladica  
Colo-

non  
de  
collo

17. An autem Statutum, quo legitima liberorum minui vel penitus tolli vult, irrationabile sit, an verò validum, inter DDres confligitur, quorum nonnulli legitimam Statuto penitus tolli posse volunt, eo ducti argumento, quòd legitima sit Jure civili introducta, *Authen. de Triente & semisse* §. 1. Quòd autem Jure Civili statutum est, ab alio Jure Civili vel Statutario tolli potest. Natta *Conf.* 308. n. 5. Panorm. *conf.* 75. n. 9. Zoef. *de inoff. test.* n. 109. Contrarium defendunt alii, legitimam scilicet nec minui, nec tolli posse, quia legitima liberorum Jure naturæ & loco alimentorum, quæ nec Staturo tolli possunt, debeat, Brun. *ad auth. hoc amplius Cod. de Fideicommissis.* Menoch. *Conf.* 250, n. 9.
18. Ego, etsi primam de Jure veriore judicem, mediam tamen sententiam, quòd legitima Statuto minui, non penitus tolli possit, ut æquiore & in praxi magis communem sequi malo cum Gail. *Lib. 2. obs.* 122. Carpz. *part. 3. const.* 12. *def.* 5. Heeser *part. 2. loco* 30. n. 370. *innumerisque aliis.* Debetur enim legitima loco alimentorum, & hinc in totum tolli non potest. *L. un. ff. de Bonis damn. L. Scripto. ff. Unde liberi.* In hanc Sententiam quòque abiit Cam. Imperialis, & ita iudicasse in causâ Dominæ Comitissæ Mariæ de Wertheim contra Tutores Nepotis ex Fratre Georg. Comite de Wertheim refert Mynf. *Cent. 5. obs.* 43. Combinari tamen posse puto sententias Author. contrarian-tium, si legitimam Statuto tolli posse, tunc verum esse dicam, si aliunde liberis de legitima vel competentibus alimentis provisum sit; secus si de sufficientibus aliunde liberis provisum non sit alimentis.
20. *Quæres.* An restitutio in integrum Statuto vel Lege particulari penitus tolli possit, aut prohiberi? irrationabilitatis tale Statutum argui posse videtur,
21. imò, quia hoc Statutum restitutionem in integrum prohibens tacite permitte-ret enormem læsionem, adeoque rei illicitæ occasionem daret, atque ita va-lere non posse, docet Gail. *L. 1. obs.* 18. n. 2. Durandus in *Traçtatu de Arte*
22. *test. tit. 1. concl.* 14. 2dò, quia privilegia piæ causæ Statuto tolli non pos-sunt. *Auth. Cod. de Sacrosancta Ecclesia.* Privilegia autem ætatis & piæ causæ æquiparantur, Bald. *Conf.* 465. *lib. 1. n.* 112. 3tò, Quia restitutio in integrum
23. fundata est in naturali æquitate; contra Jura naturalia autem nullum Sta-tutum condi potest, §. *Inst. Sed ea. de Jure naturali.* Contrariam tamen
24. sententiam, quòd restitutio in integrum Statuto mutari, limitari vel in toto tolli possit, de jure veriore teneo, quia beneficium restitutionis in inte-grum Jure Prætorio introductum, atque ita Jure Statutario tolli potest, in hanc sententiam concludit Zfortius Oddus *de Restit. in Integ. part. 1. q.* 15. n. 5. *Sibid.* Aret. in *L. Moræ. ff. de Acq. hered.* n. 3.
25. Ampliatur. Ut possit tolli non solùm directè sed & indirectè, Zfort. Oddus *dicto loco* n. 13.
26. Limitatur imò, Ut tale Statutum strictè debeat intelligi, ita ut v. g. si prohibeat de uno actu, non extendi debeat ad alium, nec ex identitate ratio-nis. Paris. *conf.* 13. n. 45. Sic prohibens restitutionem contra Sententiam de-finitivam, non extendi debeat ad interlocutoriam. Præpost. in *Cap. ex ratione*
27. *n. 71. de Appell.* Limit. 2dò, ut non procedat in læsione enormissimâ, quia
28. tale Statutum daret occasionem mali, ideoque foret irrationabile. Limita-tur 3tò, ut non procedat in pupillis doli incapacibus, Zfort. Oddus *dicto loco.*
29. An Statutum, quod refert Specul. in *tit. de 1mo & 2do decret.* §. *Re-stat. n. 14.* vigere dicit Bononiæ, Decius *Conf.* 400. n. 8. Florentiæ. quod ob solam contumaciam debitoris in actione personali missus in possessionem ex
30. primo decreto lucretur fructus, rationabile sit? Etsi pro negativâ faciat, quòd iniquum videatur, ob solam levem contumaciam debitorem privare suâ possessione, quæ maximum commodum adferre solet; & quòd debitor

- de Jure missus in possessionem ex primo decreto intelligatur tantum missus  
 31. rei servandæ causâ, atque rædialis missio vocetur. Pro affirmativâ tamen  
 concludo, quia in pœnam contemptûs Statutum contumacem commodo  
 fructuum privare potest, quam pœnam debitor evitare potest. Jacob  
 32. Menoch. de Retinen. posses. remed. 3. n. 79. Ampliatur. Ut taliter Missio in  
 possessionem ex primo Decreto vi Statuti competat Remedium possessorium,  
 retinendæ, si in eâ possessione turbetur. Men. dicto loco. n. 177. Ratio est,  
 quia commodum fructuum possessorem sequitur. L. Fulcinus §. ult. ff. Ex  
 quibus causis in possess. eatur. Missio autem ex primo decreto simpliciter non  
 competit remedium retinendæ, L. Si duo. ff. §. 8. Uti poss.

## C A P U T III.

D E

*Statutorum Divisione.*

### T H E S I S IV.

N.  
I.



- N** hoc satis conveniunt Doctores, quòd Statutum sit perso-  
 nale, quando simpliciter disponit de personis, sive quando  
 universus personæ status, sive conditio in dispositione Sta-  
 tuti vertitur, citra ullam rerum adjectionem, adeoque de  
 personis agitur in abstracto absque ullâ consideratione rerum,  
 ut verbi gr., quoto quis ætatis anno sui juris sit, quando  
 exeat parentum potestate. &c. Argent. ad Consuet. Britt. art. 218, Gloss. 6. n. 7.  
 Rodenburg. in Tractat. de Jure quod oritur ex Statut. divers. tit. 1. C. 2. Burgund.  
 ad Consuetud. Fland. Tract. 1. n. 1. in med. Voetz. in Hist. Jul. n. 54.  
 2. Et e contra, quòd indubitatè realia sint Statuta, quorum dispositio in solas  
 nudasque res cadit, ut nullum hominis actum intervenire aut aliquam con-  
 currere operam necesse sit; cujusmodi sunt, quibus rerum Successionibus ab  
 intestato jus ponitur, veluti, ut bona Paterna Paternis, Materna Maternis  
 cedant, bastardi Matribus, non Patribus succedant; & quibus successio modo  
 in stirpes, modò in capita regulatur. Argent. loco cit. n. 8. Voetz. in Histor.  
 Juliac. n. 57.  
 3. Præterea satis & in eo conveniunt, quòd quædam sint Statuta circa solen-  
 nia v. g. contractuum & testamentorum iis modum & formam præscribentia.  
 Mævius ad Jus Lubec. lib. 3. art. 6. Voetz. in Hist. Juliac. n. 59. Rodenb. in d. t.  
 tit. 2. C. 3. Burgund. tract. 4. n. 7.  
 4. Qualia verò sint Statuta, quæ ordinant personam ad actum peragendum,  
 personam ad hunc actum habilitando, vel inhabilitando, v. g. ne conjux con-  
 jugilegare, uxor sinè consensu Mariti bona sua alienare possit, item Sta-  
 tutum permittens filium familias testari de adventitiis. Mirè inter se variant  
 DDres & quidem  
 5. Primò, Bart. in L. Cunctos. pop. 1. C. de Sacros. Trinit. Quique eum secuti sunt,  
 interesse putârunt, quâ orationis structurâ Statutum sit concinnatum, & ex  
 verborum inversione aliud atque aliud de ejusdem Statuti conditione judi-  
 cantes, ut si ita habeat Statutum: primogenitus capiat Bessem, Statutum  
 tanquam à personâ orationem incipiens personale sit: ità verò conceptum:  
 Bes capiatur à primogenito, à rebus sumpto orationis initio Statutum reale  
 evadat; Hanc autem Bart. Sententiam meritò refellunt Argent. loc. cit.  
 n. 24. Statutorum personalitatem vel realitatem non à verborum structurâ,  
 sed

- sed à subjecto & materiâ esse metiendam asserens, Burgund. *Tract.* 1. n. 4. ubi dicit *Bart.* sententiam in foro explosam esse: quid enim interest, unde constructio orationis incipiat, aut quibus verbis Statuta concinnentur, & valere iusso tam futili verborum aucupio *Bart.* sententiam jam pridem explosam esse testatur quòque Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 1. *post med.*
7. Nonnulli addò, quodcunque Statutum disponens de mobilibus esse personale tradunt, ut *Argent. art.* 218. *Gloss.* 6. n. 30. Burgund. *d. t.* 1. n. 2. & 36. cujus sententiam rectè improbat Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *circâ fin. nec non tit.* 2. *C.* 2. n. 1. Quia nomine rerum, à quibus Statuta realia nominantur, æquè veniunt res mobiles atque immobiles; nec refert, quòd mobilia extra territorium existentia domicilii Statuti dispositione contineantur, atque ità tale Statutum personale dicendum foret; quia realia Statuta ulterius excurrere non solent, quàm sese territorii limites protendant: non enim ideo mobilia subjacent Statuto domicilii, quòd personale sit, sed quòd mobilia certo ac fixo situ carentia, ibi situm habere intelligantur, ubi persona larem ac fortunarum fixit summam.
8. Aliqui 3tò tenent, distinguendum esse; an Statutum applicans personam ad actum eandem habiliter, vel inhabiliter ad actum personalem, scilicet ad contractum, permittens, ut persona contrahere possit, vel prohibens, ne contrahere valeat, & tunc dicunt Statutum esse personale; si verò disponat de actu reali v. g. alienatione vel mancipatione bonorum, & tunc reale Statutum esse contendunt. Ità Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *vers.* Certo denique actui. & n. 6. 7. & seq. ubi n. 10. dicit, quòd, qui mancipare vel alienare potest, quandoque contrahere non possit, econtra verò interdum aliquis, licet contrahere possit, alienare tamen non possit, quod ipsum repetit, *Tit.* 2. *C.* 1. n. 2.
9. Econtra verò Burgund. *Tract.* 1. n. 29. & *Tract.* 4. n. 22. tradit, quòd etiam si contractus ex Statuto domicilii sit invalidus, mancipatio tamen à Statuto rei sitæ possit valere.
10. Ego in hoc neutrius sententiam approbo, quia, ut per traditionem transferatur dominium, prærequiritur titulus habilis §. 40. *Instit. de Rerum divis.* Ibiq. DDres, & quando est prohibita alienatio rei, etiam debet intelligi prohibitus contractus, quia ipse est ad rem alienandam, & prohibito fine intelliguntur etiam prohibita media, quæ tendunt ad finem.
11. Sunt 4tò denique admittentes Statuta mixta & inter se variè discrepantes; enim verò *Argent. art.* 218. *Gloss.* 6. n. 8. exemplum Statuti mixti ponit: quo *Pagani feuda ex æquo dividunt, inter Nobiles verò solus primogenitus ad feudi successionem admittitur.* Verùm hoc Statutum esse merè reale, bene probant Burgund. *Tract.* 1. n. 1. quia nihil est, quòd personam afficit; nec non Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *post med.*, eò quòd dispositio non in personæ statum sit directâ, sed circa rerum successionem vim consumat omnem.
12. Aliud exemplum Statuti prætensi mixti refert Burgund. *Tract.* 1. n. 2. *Vetans ne minor bona alienet,* quatenus enim hac simplici oratione veniunt mobilia, eatenus reale Statutum esse dicit, personale verò quatenus etiam mobilia hoc Statuto alienari prohibentur. Similiter Statuta circa successionem ab intestato, quia in hereditate insimul & mo- & mobilia veniunt, mixta vocitat idem Burgund. *Tract.* 1. n. 35. & seq.
13. Verùm & hæc sententias rectè refellit Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *post med.* eademque sententias & ego superius improbavi, quando superius omnia Statuta de bonis sive mobilibus, sive immobilibus disponentia ad realium classem retuli.
14. Ego itaque in hoc opinionum conflictu nulla saltem pro praxi harum patriarum agnoscens Statuta mixta, quando actus aliquis personæ permittitur,

aut prohibetur, ità sentio, ut si personæ status insimul turbetur, id est, si persona Patriæ, tutoriæ, vel curatoriæ potestati subjiçatur, vel exinde eximatur, tunc quidem Statutum sit personale; si verò iste status personæ non alteretur, Statutum sit reale, & in dubio, si v. g. Statutum veter, ne uxor bona sinè consensu viri alienet, siquidem Statutum hoc latum sit favore mulieris, ne lubrico sexûs ipsa lædatur, & tunc talis uxor intelligatur subiecta curatelaë mariti & Statutum sit personale; & econtra, si Statutum respiciat favorem mariti forsan in bonis uxoris usumfructum habituri, ne in hoc ipsi factò solius uxoris præjudicetur, & damnum inferatur, ut tunc Statutum sit dicendum reale. Tiraquel. *ad Leg. connub. l. 16. Gloss. 8. n. 225. & seqq.*

## C A P U T I V.

### *Cujus Loci Statutum in Conflictu sit attendendum.*

#### T H E S I S V.

- N. I.  Ico imò: In Conflictu Statutorum personalium attenditur Statutum domicilii, sive ubi persona, quâ de quaeritur, actu domiciliata est, Paul. Christin. *Decis. Belg. Vol. 2. decis. 56. n. 6.* Voetz. *in Histor. Juliac. n. 54.* Burg. *Tract. 1. n. 3. & 32. & 53. & Tract. 2. n. 7.* Ita ut quòcunque se transtulerit persona Statuto domicilii affecta, habilitatem vel inhabilitatem adeptam domi circumferat ubique, ac in universis territoriis Statutum domicilii suum exerceat effectum, Argent. *arg. 218. Gloss. 6. n. 4.* aliique jam statim supra cit. adeoque nulli liceat Statutis caput suum subducere, ne quidem in fundorum alibi sitorum alienatione, Rodenb. *d. tractat. tit. 2. C. 1.* ab hac communi sententiâ dissentit Voet. *in ff. de Constit. Principum. n. 7. & seq.* dissentire quòque videtur, & contrarium sustinere. Gail. *Lib. 2. obs. 124. n. 12.* Sed, si mecum sustineas, Statutum Personale tantum illud esse, quod turbat, vel mutat personæ statum, aut conditionem citra ullam rerum mentionem, comperies, Gail. *dicto loco.* non loqui de Statuto Personali, sed Reali; loquitur enim de Statuto: ne filiusfamilias testari possit de bonis castrensibus, quòd Statutum non personale, sed reale esse sustineo. Eodem modo dissentire videtur Carpz. *p. 3. constit. 12. def. 12. n. 6.* sed de reali quòque, non personali Statuto refert Carpz. *d. l.* In exemplo res clarior evadet. In hac Urbe, in Archi-Diœcesi Colon., uti quòque in Ducatibus Jul. & Mont. minor est, & permanet, qui 25. annum nondum complevit, hæc qualitas minorennitatis sese extendit ad bona ubicunque sita, etsi in loco bonorum sitorum aliud, imò contrarium Statutum vigeat, Voetz. *in Hist. Jul. n. 56.* quamvis contrarium velit Burg. *in sepe citato Tract. sustinens,* dari Statutum mixtum; ast absurditatem ex ejus exemplificato Statuto mixto evenire, cettum est. Pariformiter, si Statuto conceptum sit, ut uxoratus Patriam evadat potestatem, quâ talis, quòcunque se transtulerit, Pater, non filiusfamilias est, nil obstante Statuto aliorum locorum contrario: sicut à simili, nobilitatus in uno loco non exiit hanc qualitatem in alio, sed hæc ubivis personam sequitur.
2. Cur autem legitimatus in uno loco non habeatur protali in alio, uti nobilitatus in uno loco habetur talis in alio, communi populorum consensu ita introductum est; in materiâ legitimationis autem receptum est, attendi debere potestatem legitimantis, adeoque legitimationem non extendi ultra territorium legitimantis. Quæ-

3. *Quæres.* Cujusnam ergo Statutum domicilii attendi debeat, si personâ duplex foveat domicilium? in casu; Mæv. in loco A. natus ibidem instruxit domicilium, in loco B. proprium quòque fixit larem, ut & medio tempore hic, medio illic domicilium habeat, Mæv. in loco A. efficiente Satuto major evadit Anno 22. in loco B. An. 25to, juxta cuiusnam loci Statutum Mæv. sit habendus Major vel Minor, respectu alienationis bonorum immobilium, nec in loco A. nec in domicilio B. sed alibi sitorum? certum est, mobilia, si defunctus duplex habuerit domicilium, devolvi secundum utriusque loci Statutum, Schop. *ad Leges Paris. lib. 1. t. 3. n. 11. infine* sed circa alienationem immobilium extra locum domicilii sitorum Statutum originis attendi debere, sustinet Carpz. *parte 3. constit. 12.* Mihi tamen præplacet sententia Burgund. *Tract. 2. n. 9.* tenentis, quòd, qui rem immobilem sine decreto comparavit ab illo, qui duplex habens domicilium in uno Minorennis, & in alio Majorrennis erat, rectè possit allegare, se forsan ignarum alterius domicilii spectasse conditionem personæ, quacum contraxit, ex alterius domicilii Statuto, vi cuius persona Majorrennis erat, atque ita rem immobilem sese validè comparasse; quoad capaciatem verò contrahendi vel alienandi in utroque domicilii territorio, utrumque loci Statutum est observandum.

4. *Dico 2dò.* In Conflictu Statutorum Realium semper attenditur Statutum loci, ubi bona sita sunt, Carpz. *p. 3. C. 12. def. 12. n. & seqq. Gail. lib. 2. obs. 124. n. 14. & seqq. Joannes à Sande Decis. Fris. lib. 4. C. 8vo. def. 7. Voetz in Hist. Jul. n. 57.* ideòque omnium rerum successiones secundum Statutum loci, ubi res sitæ sunt, regulantur, Rodenburg. *in saped. Tract. tit. 2. C. 2.* Ita quidem, ut obligentur etiam Forenses, & non subditi, quoad bona in territorio statuentium sita, Natta *Conf. 148. n. 3.* Carpz. *dicto loco n. 4.* Quare Statutum exstans in Ducatu Julæ & Montium in *Ord. Cap. 74. wie mancherley Kinder. ligat Forenses, quoad bona in Ducatu Jul. & Mont. sita, Voetz in Hist. Jul. n. 73.* Ast hæc Statuta Realia Territorii concluduntur limitibus, atque ita intrat Decisio Gail. quem Thesi præcedente retuli, quòd Statutum sive in rem sive in personam conceptum non egrediatur Territorium, scilicet Reale; de quo Gailii sententia concludit; itaque Statutum v. g. quo filia dote contenta esse, & illà acceptâ ab hæreditate abstinere debeat, non obtinet in bonis extra Territorium statuentis sitis. Myns. *Cent. 5. obs. 43.* Ita ut supplementum per Statutum diminutæ legitimæ ex bonis extra Territorium sitis petere possit; neque refragatur, quòd successio sive hæreditas sit omnium bonorum, in eaque comprehendam mobilia, imò nomina, actiones, & Jura debitorum; eadem enim in illis obtinet decisio, quia esse intelliguntur in loco domicilii, secundum cuius Statutum regulantur, Carpz. *p. 3. conf. 12. def. 14.*

5. *Quæres.* Quid dicendum in Conflictu Statutorum circa reditus, ut si tales in Civit. A. habeantur, alii, ac in Civit. B. ideòque cum v. g. juxta *Statuta Colonia art. 14. in Ord. Archid. Colon. Tit. von der Leibzucht. In Ord. Duc. Jul. & Mont. Cap. 74.* Ultimus superstes de bonis immobilibus exstantibus liberis habeat usumfructum, in Ducatu autem Jul. & Montium reditus redimibiles licet in reali hypotheccâ constituti, accensentur bonis mobilibus; in hac Civitate verò & in Archid. Colon. reditus in reali Hypotheccâ, ad longum tempus constituti, etsi redimibiles, accensentur bonis immobilibus, uti & obligationes scriptæ; pignus antechreticum, quod quòque in Ducatu Julæ ac Montium pro re mobili habetur, an Coniuge uno mortuo in hac urbe vel in Archid. Colon. ultimus superstes lucretur reditus redimibiles, in Ducatu Jul. & Montium existentes ut bona mobilia? an verò ut in bonis immobilibus tantum habeat in illis usumfructum? &c. cum certum sit, quòd qualitas mo- vel immobilitatis redituum desumenda sit à loco, ubi reditus applicati

sunt, Voetz ff. de Constit. Principum §. 2. de Statut. n. 11. in fine. & in Ducatu Jul. & Mont. redditus redimibiles pro bonis mobilibus habeantur, hinc manente tali qualitate, redditus illi devolvunt secundum Statutum Archid. Colon. ut bona mobilia, non ut exuant qualitatem mobilitatis, verum ut illa retentâ sicut alia mobilia, secundum Statutum devolutionem mobilium regulans devolvantur. Eodem modo Casu converso Jul. conjuges in hac Urbe habent redditus in reali hypothecâ ad longum tempus constitutos redimibiles, vel obligationes scriptas, aut pignus antechreticum, ultimus superstes non lucratur illos ut mobilia, sed quâ qualitate immobilitatis à loco, ubi applicati sunt, affectos, tantum in illis usum fructum. Nec aliud statuendum de pecuniâ ex re immobili redactâ, quæ hac in urbe, donec iterum applicata fuerit, in Scrinio relinquenda manet immobilis, in Ducatu Jul. fit mobilis.

6. Ex præmissis quòque patet, quid sentiendum de redditibus, quæ debentur à Provinciis, Civitatibus aut Municipiis: quòd scilicet à quovis territorio in successione accipiant leges, in quo situm habere aut existere intelliguntur, Rod. tit. 2. C. 2. in fine.
7. Dico 3<sup>tiò</sup>. In conflictu Statutorum circa solemnities semper observari debet Statutum loci, ubi actus celebratur, Myns, Cent. 5. obs. 20 n. 4. Carpz. parte 3. const. 6. def. 12. n. 1. ita ut actus validus in loco, ubi celebratus est, valeat ubique, Voetz in Hist. Jul. n. 59. Itaque testamentum factum secundum solemnitates loci, ubi testator suprema subiit, valet per totum mundum, Gail. Lib. 2. obs. 123. n. 1. adeoque faciens testamentum extra hanc urbem, licet hinc habeat bona immobilia, non tamen tenetur adhibere Scabinos Alti Judicii ad hunc actum aliàs necessarios, nisi reversus in urbe duobus mensibus supervixerit, tunc enim testamentum coram Scabinis renovari debet juxta Art. 2. Statutorum hujus urbis. Ab hac communi sententiâ dissentit Burg. Tract. 4. n. 3. requirens solemnitates cujuslibet loci, ubi bona sita sunt; ab hac quòque recesserunt Cujac. obs. lib. 14. cap. 12. Fachin. lib. 5. cap. 9. qui sententiæ suæ fundamentum ponunt in L. Sed si. ff. de Jure Fisci. in L. Non spec. C. de Testamentis. Sed argumenta hæc tanti ponderis non sunt, ut à communi sententiâ tot rerum judicatarum & calculorum autoritate suffulta divortium faciam: quanquam, verum ut fatear, nihil Juris sit statuenti in bona contrariis legibus subjecta, ut transcribendis illis in aliam certam formam sustineat Legislator præfigere, sed communis efflagitat necessitas, quòd DD. æquè ac tribunalia secundum formam loci ordinatum testamentum plenum ubique sortiri effectum voluerint; e contra absurdum foret de singularum regionum possessionibus singula exarare testaments, vel unum idemque testamentum alio atque alio solemnitate Jure instruere, planèque repugnaret liberæ ad extremum vitæ spiritum voluntati; & qui aliò loci negotiorum causâ delatus subitoque morbo correptus fuerit, sic vel invictissimo necesse esset, decedere intestatò vel ordinata ante suprema mutare, atque ita eum non posse jam fato propinquum hæredes habere quos optaverit.
8. Quod de testamentis adductum est, extenditur quòque ad contractus ex præmissâ conclusionis generalitate, ita ut talis, cui adhibitæ sunt solemnitates loci, ubi celebratus est, valeat ubique, etsi alibi majores solemnitates requirantur, Gail. lib. 2. obs. 123. n. 3. & 4.
9. Sed queritur primò: Antestamentum vel contractus adhibitis solemnitatibus loci, ubi actus celebratus vel testamentum conditum est, valeat etiam quoad bona extra territorium statuentium sita, si illa aliis atque contrariis solemnitatibus ligata sint? indistinctè hoc affirmat Gail. dicto loco, exemplum suppeditans, quòd insinuatio donationis vel contractus donationis validus in loco, ubi peractus est, valeat ubique etiam quoad bona extra Ter-  
ritorium

- ritorium sita, licet aliis solemnitatibus bona subiecta sint, & quidem ad  
 similitudinem eius, quod haeres adiens hereditatem in loco A. intelligatur  
 adiiisse hereditatem etiam quoad bona ubicunque sita, *Gail. disto loco*, sed prius  
 fallere demonstrat exemplum *Ord. Jul. cap. 102.* ubi ad donationem validam  
 requiritur solemnitas der Erb- und Enterbung / auch Raumung Jahrs und  
 Tags Hoc posito: Colonienfis Civis habens bona in Ducatu Jul. sita non  
 validè donat, nec donationem perfectam facit in hac urbe, nisi adhibeat in  
 Duc. Jul. & Mont. prædictam solemnitatem. Hinc *Gail.* sententiam proce-  
 dere dico in testamentariis alienationibus, non verò actibus realibus seu  
 mancipationibus, in quibus, si Statutum dicat, nullam esse mancipationem  
 vel donationem, nisi adhibita tali solemnitate, eadem adhiberi debet, *Rodenb.*  
*Tit. 2. Cap. 7. & seqq.* Communis enim in testamentis id exoptulat necessitas.
10. *Dices 1.* Ad quid ergo præmissa conclusio, quod, quoties Statutum habi-  
 litat vel inhabilitat contractum, attendi debeat Statutum loci, ubi contra-  
 ctus celebratus est, & taliter celebratus valeat ubique? *Resp.* dictam con-  
 clusionem tamen procedere, etsi in bonis alibi sitis requiratur alia solem-  
 nitas quoad effectum obligationis personalis; licet non semper procedat  
 quoad effectum realem domini transferendi, ita tamen, ut vi contractus  
 celebrati donatarius actione personali donantem ad adhibendam solemni-  
 tatem requisitam in bonis donatis regulariter astringere possit. Dixi regula-  
 riter, quia tradit *Voetz in Hist. Jul. n. 186.* quod vivus donator propter ver-  
 ba Statuti Raumung Jahrs und Tags donatas res occupando seu intrando  
 possessionem rei donatæ intra annum & diem fortè ad illam realem solemni-  
 tatem non adstringi, sed donationem pœnitentiâ revocare possit.
11. *Dices 2.* Testamentum secundum solemnitates loci, ubi conditum, va-  
 lere quoad bona alibi sita; fallit tamen, si prohibita sit de bonis alienatio  
 vel testamenti factio. *Resp.* Fallere non propter solemnitates non adhibitas,  
 sed quia Statutum Testamenti factionem prohibens, reale est, quale directè  
 afficit bona, ita ut obliget externos non subditos quoad bona in territorio  
 statuentium sita, non deficit ergo testamentum propter solemnitates non  
 adhibitas, hincque præmissa conclusio non fallit ex hoc capite, sed ex pro-  
 pter, quia per Statutum reale bona per quamlibet ultimam voluntatem suat  
 alienari prohibita, & hæc qualitas inalienabilitatis ipsis est bonis impressa.
12. *Queritur 2do:* Quid Juris, si quis actum celebraverit, v.g. testamentum  
 condiderit in territorio B. eius tamen solemnitates non adhibuerit, interim ve-  
 rò adhibuerit omnia solemnitas requisita in loco bonorum sitorum? & qui-  
 dem in hac quæstione *Berry de Success. lib. 1. tit. 1. num. 46.* relatus à *Rodenb.*  
*Tit. 310. C. 3. n. 2. in med.* distinguit inter subditum & peregrinum sive fo-  
 renssem, illius, non huius testamentum valere sustinens, econtra verò utrius-  
 que testamentum, quoad bona sita in loco, cujus solemnitates servatæ sunt, fore  
 validum asseverat *Rodenb. loco cit.* hæc allegatâ ratione: quod quasi benigni-  
 tas æquitatis non patiat, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introdu-  
 cta sunt, eos duriore interpretatione contra ipsorum commodum produ-  
 camus ad severitatem *L. 25. ff. delegib.* Verùm eâ ratione non obstante, tenco  
 testamentum etiam quoad hæc bona futurum esse nullum, quia sicut validi-  
 tas, sic etiam invaliditas ratione solemnitarum dependet ab observantia vel  
 neglectu solemnitarum requisitarum à Statuto loci, ubi actus celebratus est,  
 & in hanc quodque sententiam inclinat *Mæv. ad Jus Lub. p. 2. tit. 1. art. 16.*
14. Quid autem, si quis secundum formam Juris Romani testatus fuerit eo in  
 loco, ubi eoram Notario, vel Parocho, vel Scriba Judicii adhibitis insuper  
 duobus, tribus vel quatuor testibus testamenta condi solent, dicamusne te-  
 stamentum valere? & dico valere cum *Rodenb. Tit. 2. C. 3. n. 3.* ubi ratio-  
 nem

nem dat, quia Statutariae testandi formae non contra, sed praeter Jus Commune introductae, unde rectè dici posse videatur per hodiernam testandi formam utpote planiorem remissam esse operosam illam ac onerosam septem testium adhibendorum solennitatem, cui tamen, si quis etiamnum alligare se voluerit, nihil ei sit impedimento: hinc cum aliquando in Foro Lubecensi, ubi alia suaque testandi forma praescripta usu invaluerat, in litem venisset, utrùm secundùm Juris Romani formam ordinatum testamentum subsisteret, pro eo pronuntiatum est, teste Mæv. *ad Jus Lub. quest. prolim. 9. n. 44. & p. 2. tit. 1. art. 2. n. 162.*

Et si nunc quidem tota Conflictus Statutorum materia juxta triplicem Statutorum diversitatem in tribus quòque praemissis conclusionibus principalibus absolvatur, quia tamen res quavis fieri solet exemplis illustrior; ea propter exempla & casus speciales magis dubios ad illustrandam, & ut clarius evadat Conflictus materia, lubet subungere.

#### T H E S I S VI.

- N. **H**ic omnium prima, quae praclarissima torfit virorum ingenia, sese offert *Quaestio*: num Statutum, quo cavetur, ut inter conjuges sit communio bonorum, Reale sit, & quàm tale territorii limites non excurrat, nec ad bona alibi sita se extendat; num verò Personale sit, & quàm tale quaecunque bona complectatur? in diversas DDres abièrunt sententias, & inextricabilem quasi excitârunt conflictum. Molin. *Consilio 55.* Personale esse Statutum inducens communionem bonorum acriter tueri conatur, atque ita alterius territorii bona communioni inclusa esse defendit. Quòd Reale sit, & territorii limitibus includatur, vult Argentreus *d. art. 218. Gloss. 6.* mediam quodammodo viam ingressus est Burgundus *tract. II. n. 510.* atque ita mixtum denuò sibi figurat Statutum, ut quàm tale quoad mobilia Personale quidem sit; sed ad alterius territorii bona immobilia vim suam non extendat. Proponit quidem etiam quaestionem hanc, nihil tamen ipse decidens Lamb. Gorris. *Tract. 1. in adver. cap. 6.* Duas inter se discriminat Rodenb. *T. 2. C. V. n. 12.* hujus communionis species, aut enim nullo (inquit ipse) habito tractatu de communione bonorum in pactis nuptialibus initur matrimonium Statuto solummodo trahente secum communionem; aut pactis antenuptialibus communio bonorum expressè pacta est.
1. Neque etiam speciem, quam ponit Argentreus *d. l.* censet esse admittendam, aut tabulis antenuptialibus pacta est, sed simpliciter tantùm bonorum communio; nam quòd pacta, sed simpliciter bonorum communio, accipienda tantùm sit de bonis, quae domicilii finibus includuntur, ut jam dictus vult Argent. apertè falsum est, nisi consuetudo aut Statutum communionem bonorum intrà cancellos territorii expressim coërceat; paciscentes enim pacto aliquid superaddidisse intelligi debent. Duplex ergo est penès Rod. *d. l.* communio bonorum, & illa quidem à modo, quo inducitur sic appellata; vel enim matrimonium contrahentes praeter Statutum communionem bonorum expressè paciscuntur, vel stante tali Statuto simpliciter sinè pactione praeviâ matrimonium ineunt. De imâ specie magis communiter & satis bene DD. consentiunt, hanc communionem quaecunque bona sive in sive extra territorium sita includere. Heeser *p. 2. loco 8. n. 115.*
2. Giurba *ad Consuet. Milan. Cap. 1. Gloss. 2. n. 126. & alii.* 2dam verò speciem nulla bona extra territorium sita afficere, vult Schaffan *ad Consuet. Burg. Rub. de droits & appartenans à Gens maries. §. 2. in verbis Selon la generale coutume.*
3. Econtra Rodenb. *Tit. 2. C. V. n. 14.* cumque secutus Lauterbach. *Disput. de bono-*

- bonorum Societate conj. cap. 2. §. 14.* indistinctè tenent, quòd & pactitia & consuetudinaria tacita communio bonorum omnes res ubique sitas vel bona extra territorium sita includat, non adeò respectu Statuti, quòd reale est, sed vitacitæ contractæ societatis & inde intervenientis fictæ traditionis, quâ omnia bona communicata esse intelliguntur; ut enim ex Jure constat, omnium bonorum contractâ societate tacitè intelligi intervenisse traditionem *L. 2. ff. Pro socio.* uti & ex tacita conventionione illata & investa in horreum vel aream pignore obligantur ex eo solo, quòd de illorum illatione conventum sit, licet ulterius, ut pignore obligarentur, expressè conventum non fuerit. *L. 3. ff. In quibus causis pignus tacit. L. 5. C. Locati conducti.* Ratio est, quòd tacitæ conventioniones valeant, ut expressæ, *L. 4. ff. de Pactis.* ita & tacitam per Statutum introductam communionem vel societatem bonorum vitacitæ seu fictæ traditionis effectum sortiri dicunt eundem, quem operatur
10. expressè pactitia. Interesse tamen dicit Rodenb. *l. cit.* inter pactitiam & Statuto simpliciter introductam communionem bonorum, quòd illa etiam operetur effectum particularem in bonis extra territorium sitis, quibus certa traditionis solemnitas præscripta est, hunc scilicet, ut si conjux solemnitatem hanc ad validam traditionem requisitam adhibere recuset, actione personali ad interesse teneatur. In tacita autem à Statuto introductâ communionem conjux nullâ actione ad interesse teneretur, neque tacita hæc communio bonorum se extendat ad bona alibi sita, certâ traditionis solemnitate
11. affixa. Quoad hoc autem rectius dissentit Laut. *L. cit. th. XV.* hac allegatâ ratione, quia ejusmodi Statuta, quæ certam formam alienationibus imponunt, exaudienda sunt de alienationibus illis, quæ fiunt mediante traditione vera, non verò de illis, quæ ipso Jure sine præcedente aliqua traditione peraguntur; hæc autem cum alienatio seu communicatio rerum ipso Jure fiat, eousque extendi nullo modo debent, ne correctio Juris Communis per tacitos & subauditos Statuti intellectus introducatur, aut dispositio ejusmodi Statutorum ultra casum expressum extendatur. Lauterb. *loco cit.*
12. Ego tamen si credam, suprafatas DDrum sententias praxi Patriarum, in quibus præallegati DDres vixerunt, esse receptas, & saltem pro exteris illis territoriis bene posse defendi; attamen praxi meæ & citimarum patriarum quoad immobilia conformem judico sententiam Argent. *ad Consuet. Brit. art. 218. Gloss. 6. n. 33. & seqq.* Communionem bonorum non tacitæ contractæ societati, sed soli Statuto attribuentis, quid enim, inquit, si interim minor, qui de immobilibus disponere non potest, in loco communionis bonorum matrimonium contraxisset? sanè tunc communio non pactitiæ societati, sed Statuto simpliciter adscribi deberet, & quia Statuta circa communionem bonorum realia sunt, ideo singulorum locorum, ubi immobilia sita sunt, attendi debere, teneo cum Argent. *loc. cit.* nec communio bonorum contracta in loco matrimonii se extendit ad bona alibi sita, si in loco bonorum sitorum nulla obrineat communio.
13. Supra in Capite 2do Th. 3. retuli per articulum decimum Statutorum Colonienſium introduci communionem bonorum inter conjuges hujus Urbis, sed qualia bona in hanc communionem veniant, mirificè inter se confligunt hujatis Urbis Advocati & Juris-Consulti, atque indefessè variis, ac contrariis Juris Responsis, & quotidianis perennantibus ferè Processibus tribunalia fatigant, hinc hanc quæstionem pro ingenii viribus funditus examinandam & diversis Juris fundamentis ac judicatis illustrandam præterire non debui; pro meliori ideo intellectu integrum lubet referre Articulum.

*Rubrica.*

14. **Mann und Weib** die im ehelichen Stand keine Kinder haben / und ihrer eins stirbt ohne Testament oder Vermächnuis / wie die nechste Erben mit dem Lebtlebenden alle Gereide Güther theilen sollen.

**N**ach so wollen wir fortan gehalten haben unsere gute alte Gewohnheit und Herkommen / die man vor langen Jahren also gehalten / und auff uns bestättigt sein von Päpsten / Kayseren und Königen / und Erzbischoffen / daß / so / wan Mann und Weib beyeinander kommen / und im Ehelichen Stand beyeinander sitzen / ist es Sach / daß sie keine gewisse Geburt gewinnen und ihrer eins ableibig würde ohne Testament / und Vermächnuis / Aufftrag / oder Heiligbrieff zwischen ihnen auffgericht / so indan des Todten nechste Erben mit dem Lebendigen alle Gereide / Haab und Güther gleichhalb theilen an dem nechsten Tag / ob gleich der eine viel und der andere wenig bracht hat ; dan wan sie beyeinander im Ehelichen Stand / so haben sie kein besonder Guth / ob gleich wäre / daß der Lebtlebendige blieben wäre / daß meisten bracht hat / als zu verstehen tausend Gulden / und der Ablebende nicht mehr dan zehu Gulden / dannoch so sollen des ersten Ableibigen nechste Erben mit dem Lebendigen die tausend Gulden mit den zehu Gulden gleich halb theilen / als vorß. steht als mallig fünffhundert und fünff Gulden / und also fort mehr nach Gebühr / was des Guths minder oder mehr wäre.

15. Ex hoc Articulo indubitatum est 1mò: Bona immobilia non venire in nostram communionem civicam, quia rubrum hujus articuli æquè ac nigrum expressè loquitur von Geraden Gütheren / & immobilia communia non fiunt nisi per associationem scriinalem.
16. Indubitatum 2dò est, quòd omnia mobilia, quæ conjuges defacto matrimonium contrahentes possident, veniant in communionem, hoc enim textus: Wan Mann und Weib beyeinander kommen / item wan sie beyeinander kommen in Ehelichen Stand / so haben sie kein besonder Guth / clarè decidit.
17. Indubitatum 3tiò est, mobilia per conjuges stante Matrimonio industriâ & labore acquisita communia fieri, per verba, und im Ehelichen Stand beyeinander sitzen / & clariùs hoc in Amplissimi Magistratùs Nostri Edicto Summariissimi per verba gewonnen und geworbene Güther etc.
18. Immobilia verò stante Matrimonio acquisita, in quibus conjuges simul inscriinati sunt, fiunt quòque communia, & desuper unus inscio altero testamento proprietate tenus relicto conjugi alteri usumfructum disponere potest, ut habetur in supramemorato Edicto Summariissimi.
19. Sed dubium remanet primò, num stante Matrimonio uni conjugi per hæreditatem vel legatum obvenientia; 2dò, uni conjugi specialiter donata mobilia in communionem veniant?
20. Negantium Argumenta sunt primò, quòd hæreditates non communcentur, Heeser p. 2. L. 18. n. 3. quia quod ex alienâ procedit personâ sinè ullo uxoris vel mariti Ministerio, hoc illi tantùm applicandum est, cui obvenit,

Johan

- Johan Frideric. *Solis de Bon. Const. matrim. acquif. quest. 9. n. 8. in fine. Præsertim ubi non est communio omnium bonorum L. 3. §. 1. Pro socio.*
21. 2dò: Quòd conjuges donationes sibi non communicent, Heeser *d. L. n. 10.*
22. 3tìò, quòd in prædicto articulo de mobilibus per hæreditatem devolutis vel donatis nulla mentio fiat; quòd autem Statutum non dicit, nec nos dicere debemus, Gail. *Lib. 2. obs. 33. n. 2.* Tiraquel. *ad Leg. connub. in C. 16. Gloss 2. n. 22.* Statuta enim strictè intrerpretanda, non verò extendenda sunt. Voetz. *in Hist. Julia. n. 177.*
23. Econtra 4tò, quòd in prædicto articulo specificè tantùm loquatur de mobilibus tempore matrimonii contracti possessis, ut ex verbis constat, *Wan Mann und Weib beyeinander kommen.* Item *ob gleich einer viel / der ander wenig bracht hat /* quæ verba denotant tempus contracti matrimonii, prout indicat verbum *Wan.*
24. Sed ego non obstantibus his argumentis defendo, quòd omnia stante matrimonio per hæreditatem vel legatum uni conjugi obvientiã mobilia, item per donationem accepta veniant in communionem nostram civicam propter prædictum Statutum.
25. Et quidem 1mò, quòd in Statuto habeatur, *So mögen des Todten nechste Erben mit den Lebendigen ALLE Gerede / Haab und Gütther halb theilen /* quæ verba *Alle Gerede* &c. à divisione nil excludunt. Mynsing. *Resp. 65. n. 7.*
26. 2dò: Per verba, *Wan sie beyeinander kommen / haben sie RETH besonder Guth:* quòd verbum dictione universalis negativum omnia excludit, Barb. *in Tract. de Dict. usu frequentibus, dict. 229.* Naturam enim universalium negativorum excludere omnia, quæ considerari possunt etiam minima, Scradet. *Consil. 1. n. 236. & seqq.*
27. Unde 3tìò etiam communis usus Forensis observat & moribus receptum est in locis iis, ubi per Statutum vel consuetudinem superstiti conjugi deferuntur omnia mobilia vel eorum medietas attribuitur, quòd nulla habeatur ratio, aut distinctio, quo jure vel titulo, an testamenti, legati, aliòve illa præmoriens sua fecerit? prout advertit Chass. *ad Consuet. Burg. rubri. 4. §. 2. n. 8. in fine.* Idèmq; in Ducatu Juliacensi, Montensi & Archi-Episcopatu Coloniensi, nec non in aliis vicinis Provinciis quotidiana comprobatur experientia, quæ nobis debet esse pro viâ veteri & turâ, ut ex Bald. refert Nicolaus Everh. *in Topicis suis sub loco à contrario sensu n. 15.* Wernerus Thummermuth *in Tract. Krumbstab. 3tio fundamento parium Curie à consuetudine vicinorum Locorum per totum.*
28. Prætercæque 4tò ultra hæc in extenso Amplissimi Magistratûs Edicto Summariissimi clara reperitur declaratio: *daß einer von beyden Eheleuthe über eine Halbscheid aller beweglicher Zubracht B. ererbter oder stehender geworbener Gütther nach Gefallen testiren möge /* hæc testandi facultas de medietate der ererbten Gütther pro libitu testandi infert, illa mobilia esse communia, prout & judicatum fuit in Alto in causa Viduæ Mainone contra Jacobum Mainone filium 1725. den 24. Decembris, quæ sententia in appellatorio confirmata fuit.
29. Contrariis argumentis respondeo 1mò, quòd hæreditates non communicentur Jure Statutario, nego; Jure Communi, concedo. 2dò, quòd in Statuto de mobilibus per hæreditatem devolutis vel donatis nulla mentio fiat, dico, Statutum facere mentionem generaliter de rebus mobilibus, ergo etiam de illis, quæ per hæreditatem devolvunt vel donantur. Ad 3tium: Quòd dictio *Wan* potiùs conditionem, quàm tempus significet. Besold. *in Tract. pract. in verb. Wan.* ità ut statuentes per verbum *Wan sie beyeinander kommen:* non determinent existans, quo contrahatur communio, sed ponant conditionem, quæ si existat, volunt communionem induci.

30. Si nulla vigeat communio bonorum in loco contracti matrimonii, nec tunc communicari bona alterius territorii, tenent DDres suprâ citati, nam tunc dicendum est (ajunt) contrahentes eo ipso, quòd matrimonium inièrint in loco, ubi Statutum communionem respuit, eandem nullibi contractam, sed ubique eandem exclusam voluisse. Econtrario ego insistendo sententiæ Argent. dico bona in loco communionis sita fore communia, etsi in loco contracti matrimonii nulla vigeat communio bonorum.
31. Si sponsus ex domicilio A. ubi vigeat communio bonorum vi Statuti, & sponsa ex domicilio B. ubi nulla vigeat communio, contrahant matrimonium alibi, non attenditur Statutum loci contracti matrimonii, quia ut forenses contraxisse intelliguntur, sed domicilium sponsi, Schaffan. *ad consuet. Burg. Rubr. de droits & appartenants à gens maries. §. 2. in verbis au duché de Bourgogne. Heeler p. 2. l. 8. n. 31. Rodenb. tit. 2. C. 5. n. 15.*
32. Sed quæritur, an communio bonorum, quam conjuges incunt vi consuetudinis vel Statuti domicilii, permaneat mutato à conjugibus domicilio, si in loco mutari domicilii nulla vigeat communio? affirmativam tuetur Joan. à Sande *C. 2. tit. 5. decis. 10.* ibique ita Frisix judicatum fuisse refert.
33. Sed ego hoc non obstante dico, cum certum sit, quòd mutato à conjugibus domicilio mobilia aliis subjiciantur legibus, quia in novo loco sita esse intelliguntur, non continuari communionem bonorum contractam in loco antiqui domicilii, si in mutato domicilio nulla vel talis non vigeat communio, qualis vigeat in loco antiqui domicilii. Et hoc certum est quoad mobilia, quæ conjuges acquirunt in mutato domicilio; respectu mobilium verò, quæ acquisiverunt modò in loco prioris domicilii, ad stipulor sententiæ Joan. à Sande *d. l.* illa scilicet manere communia, ne permutatione domicilii arbitrio forsan mariti factam uxori vel e converso Jus ex priori statuto quæsitum auferatur; Quoad immobilia nunquam mutatio domicilii quid adferre vel auferre potest, illa enim semper affixa sunt Statuto loci, ubi sita sunt, & hinc ex præmissis deciditur, quòd inter conjuges, qui domicilium fovent in hac urbe multisque mobilibus acquisitis transmigrant aliò, domiciliumque mutant, mobilia in hac urbe acquisita in mutato domicilio permanent communia, acquisita verò in loco mutati domicilii, nullâ ibi vigente communione non sint communia.
34. Quæres. An in communione bonorum etiam veniant feuda? R. Nec in Statuto introductam, nec in pactitiam communionem bonorum venire feuda, nisi Domini accedat consensus. Tiraq. *de Jure primogen. q. 4. n. 41.* Spectatur enim Jus tertii, Domini scilicet directi, quod non maneret illæsum, si citra ejus consensum feuda dividerentur, aut alius adoptaretur vasallus; si verò contrahentes expressè de feudis pacti fuerint, quòd illa in communionem venire debeant, Dominus autem consentire nolit, conjux, qui feuda in matrimonium intulit, in communionem autem conferre non potest, tenetur ad id, quod interest, Frid. à Sande *ad Consuet. Geldriae t. 2. cap. 3. n. 6.* Quoad feuda tamen, quæ constante matrimonio speciali titulo fuerunt acquisita, distinguo: vel solus maritus per solennem investituram in possessionem missus est, & feuda non sunt communia, sed mariti hæredes ea accipiunt soli; vel ambo conjuges investiti sunt, & tunc communia ad illorum hæredes pertinent. Frid. à Sande *ad Consuet. feudal. tit. 2. C. 3. n. 7.*

## T H E S I S VII.

N. Quæritur zdd, quid concludendum sit in casu, ubi stante Statuto  
 I. **Q**uæritur in loco A. quòd conjux conjugis suæ nulla bona relinquere possit, Mævius Domiciliatus decumbens in loco A. legat uxori suæ bona sita in loco B. ubi validè conjux conjugis bona relinquere potest, an valeat legatum? cardo quæstionis in eo vertitur, num Statutum Personale

nale

- nale sit, num reale; si illud, invalidè legavit Mævius; si hoc, legatum est validum, quia Statutum Reale ad bona extra territorium sita se non extendit, sed res soli tantum afficit; pro utraque Sententiâ innumeri stant Auth. atque Personale esse tale Statutum sustinent Thesaurus *quæst. for. lib. 2. q. 4. n. 5.* Pingifer *quæst. 29. n. 49.* Carpan. *ad Statuta Mediol. cap. 2. 296. n. 16.* Hâc militantes ratione, quod Statutum vel consuetudo normam præscribens certo actui à persona peragendo, sinè cujus actûs interventu, contra Statutum nil queat committi, in personam, non in rem sit scriptum tale Statutum, vel quod lex certo posita personarum generi fundatâque in ratione Statûs conjugalis, adeoque qualitatis personalis, personis, non rebus data esse videatur, per consequens non alia sit habenda quàm personalis. Ast contrariam Sententiâ rectiùs tenent ac rationibus sustentant fortioribus Argentreus *ad Conf. Brit. art. 218. Gloss. 6. n. 29.* Rodenb. *tit. 2. Cap. 5. n. 1.* in quorum sententiâ & ego concedo hoc ductus fundamento, quod, ut personale dicatur Statutum, non oporteat inspicere, quibus personis, aut quorum intuitu sit latum Statutum, verùm quid qualève illud ipsum sit, quod prohibetur; ut si reale quid sit prohibitum, qualis est rerum inter conjuges alienatio, reale sit Statutum, adeoque denominatio Statuti desumenda sit ab objecto, seu re, ad quam applicatur personæ vel inhibita vel permissa agendi facultas: Unde licet personæ fiat mentio, non ideo Statutum evadit personale, sed ut appareat, de quo hominum genere Statutum loquatur Arg. *leg. 7. §. 8. ff. de Pactis.* Ideo dicendum est, valere Legatum in dato casu quoad bona extra territorium statuentis sita, quia in rem scripta prohibitio fines territorii non egreditur, nec legem ponit sitis alibi, Rodenb. *tit. 2. cap. 5. §. 2.* In contrario casu contraria sinè dubio obtinet decisio; hinc si in loco, ubi testator suprema subiit, conjux conjugi validè legare possit, non valet legatum bonorum sitorum in loco, ubi Statutum inter conjuges legare prohibet. De Mobilibus si concipiamus casum & ponamus, quod in loco contracti Matrimonii, vel domicilii conjux conjugi validè legare possit; mutato verò conjugibus domicilio in locum B. ubi nullus conjugum sibi invicem legare potest, alter conjugum è vitæ excedit relictis conjugi in testamento mobilibus, quæri potest, an valeat legatum non obstante Statuto loci B. ? R. cum certum sit, mutantes domicilium, se subicere debere Statutis novi domicilii, de jure quòque notum sit, quod legatarius tempore mortis, & quando vult capere legatum, capax esse debeat; certa facienda est conclusio & dicendum, legatum invalidè relictum esse, quia conjux superstes tempore mortis, quod omnium maximè attendi debet, legati incapax erat; Statutum enim domicilii, secundum quod constat regulari debere mobilia, inhabilitat, & incapacem reddit conjugem superstitem. Secus foret, si conjuges iterum ad locum prioris domicilii transmigrâssent, ibique alter diem obiisset, tempus omne intermedium, quo conjuges in loco novi domicilii morati fuerunt, nocere non potest dispositioni factæ, sed ea reviviscit. Arg. *L. Si alienum ff. de Hæred. Carpz. p. 2. const. 14. def. 3.*

T H E S I S VIII.

N. I. **Q**Uæritur 3tiò, an Statutum, quod exstat in Ducatu Jul. ac Mont. quod nemo de bonis stemmaticis testari possit, constringat etiam forenses de bonis in Ducatu Juliæ ac Mont. sitis stemmaticis alibi loci testantes ? affirmativam tenet optimus patrii sui Juris interpres quondam Vice-Cancellarius Dusseldorpiensis Voertz in *Hist. Jul. n. 177.*  
Adeoque Civis Colon. bona in Ducat. Jul. & Mont. sita, testamento legare vel

2. alienare non potest nec hic Coloniz, nec alibi. Sed si Civis Colon alicui legaverit bonum stemmaticum Juliz & Mont, an hæredes teneantur ad interesse vel æstimationem? in negativam communis abiit DD. Sententia, cò quòd pro legato, quod de Jure sive Statutario, sive communi non valet, nec præstari debeat æstimatio; cui sententiz ego quidem subscribo; interim tamen, si ex circumstantiis nasceretur præsumptio, testatorem legatario v. g. indigenti gratificare voluisse, valde in affirmativam inclinarem, *Arg. l. 57. ff. de Legatis 1. l. 10. C. Legat.* Huc conferunt, quæ tradunt Authores ad casum nulliter legati feudi, quod si constet de innixâ testatoris voluntate, præstari debeat æstimatio, *Strick. in Exam. Feud.* In casu contrà converso integrum est subdito vel incolæ Juliacensi de bonis stemmaticis extra Duc. Jul. & Mont. sitis testamentum condere, eaque bona legare, testamenti nam factio ipsi non est adempta, nec ita, quasi persona testamenti faciendi foret incapax, stemmaticorum bonorum finibus inclusa prohibitio enim alterius loci bona non afficit: neque ea in dubio capienda præsumptio, ut Legislatores alieno territorio leges imposuisse censeantur, *Burg. dicto tract. n. 45.*
3. Quid autem, si in bona ubicunque sita expressim sit conceptum Statutum, ut ne ea legare vel mortis causâ donare quis possit? non minùs dicendum est, donationem vel legatum non propterea labefactari, *Carp. parte 3. const. 12. def. 12.* non enim potuerunt jurisdictionem, ut maximè voluerint statuentes, ad alibi sita bona directè extendere. Cæterùm tamen jus in re licèt non tribuat Statutum, personas tamen ligare & astringere posse, nulla dubitatio est, adeoque actionem gignere personalem, ut qui citra prohibitionem rem nactus fuerit donantis vel legantis hæredibus personali actione teneatur ad id, quod eorum interest, donationem celebratam, vel rem legatam non esse, *Rodenb. tit. 2. Cap. 5. n. 50.* Prohibitorium enim Statutum imperare potest, ut persona ei subdita obtemperare debeat, & in contrarium eventum, quòd alteri eo nomine abfuerit, resarcire *Rod. dicto tract. n. 45.* commune quòque DD, Effatum est, Statutum afficere posse personam sibi subditam, etiam quoad bona extra territorium sita, si nominatim statuentes edixerint, *Grivel. decis. 104. n. 44.* Hæc ita, si Statuta locorum, ubi bona sita sunt, non repugnent, aut resistant Statuto domicilii.

T H E S I S IX.

- N. **Q**Uæritur 4tò, in concursu creditorum cujus loci Statutum attendi debeat? Amplissima hæc est quæstio, nec unâ responsione nec unâ distinctione absolvenda; hinc ea, quæ certa sunt, præmittere consultus est; adeoque ut certum dico, quòd in concursu creditorum circa ea, quæ processum concernunt, attendendum sit Statutum loci, ubi peragitur; quoad prælationem vel privilegium verò, quod diversa diversorum bonorum loca tribuunt, distinguo inter bona mobilia & immobilia: Mobilia quod attinet, si diversa loca diversam tribuant præferentiam creditoribus circa mobilia debitoris, attenditur Statutum domicilii debitoris, etsi mobilia in diversis locis sita sint. *Gail. lib. 2. obs. 130. n. 13.* Heeser *parte 2 loco. 8. n. 102.* In exemplo veritas in propatulo erit: Mercator Colon. mobilia habet in diversis territoriis v. g. Lipsiz, Francofurti, Amstelodami, alibi- que, quæ forsan loca diversam si haberent præferentiam in suis Statutis, ut si Statutum loci A. tribueret arresto prælationem in bonis arrestatis, in loco B. contrarium obtineret, in loco C. creditores cambiarii in pecunia debitoris haberent præferentiam in loco D. aliud vigeret. Mercatore Colon. fallito, habebitne quisque creditor secundùm Statutum sui loci præferentiam in mob-

- mobilibus in suo loco sitis, & ita creditor cambiarius, in pecunia penès fallitum existente? *æ.* Negativè, sed omnes creditores secundùm Statutum hujus Urbis in prælatione venire debent. Heeser *diff. loc. aliique*, & hæc vera sunt, si debitor modò fallitus sit: Secus foret, si executio modò directà esset in mobilia debitoris, qui adhuc in possessione suorum bonorum est; feret enim tunc creditor diligentia & vigilantia sua præmium, si quod eo loci mores, ubi in causam Judicati ceperit mobilia præ aliis creditoribus, illud privilegium non tam proficiscitur ex credito, quàm ex actu ipso executionis, super quâ unusquisque Judex rei sitæ adeundus est. Gail. *lib. 2. obs. 100. n. 14.* adeoque hæc res tanquam concernens exequendi ordinem legem accipiat à loco, ubi lis peragitur, ac præterea pignus, quod Judex constituit in bonis apud se in causam judicati captis, dicitur supplere vicem debitoris, ut proinde res habeatur. ac si ipse debitor bona illa eò loci pignori tradidisset, *L. 2. cod. si in causam Jud.*
4. Sed *Queres* imò, si debitor, Mercator v. g. Colonienfis in diversis locis tabernam in iisque merces habens etiam diversimoda debita contraxerit, num omnes merces in tributum venire debeant? num verò creditores non confundendi, sed singuli mercibus singulorum locorum credidisse intelligantur? sunt, qui creditores confundendos negant, sed eos separatim vocando, singulorum locorum merces suis cedere volunt creditoribus, & si quid in uno loco superfit, id cæteris prodesse, eò quod mercibus potiùs, quàm personæ creditum esse intelligatur, *Argumento L. 5. §. 15. ff. de Tributaria actione. Mæv. ad Jus Lub. lib. 3. t. 1. a. 10. n. 56.* Contrarium tamen ego teneo, creditores scilicet in tributum vocandos esse, quia æs alienum non unius loci, sed universarum facultatum est *L. fideicom. ff. de Judiciis.* Et creditores dicendi sint habuisse respectum ad universum patrimonium in pluribus licet provinciis distributum; & certè, si verum, quòd non personæ, quæ individua est, sed rei creditum sit, cur igitur dimissis unius loci creditoribus, ad id, quod superest, admittantur creditores loci alterius; in hanc sententiam condescendunt mecum Card. Mantica *de tacitis & ambig. t. 23. n. 28.* Rodenb. *t. 2. cap. 5. n. 16.* Quid si debitor fallitus habuerit domicilium alio, atque alio in loco, singulisque locis sua posita mobilia? *æ.* hoc casu utriusque domicilii mobilia Regulari secundùm cujuslibet domicilii Statuta; quoad alia verò mobilia debitorem fallitum conveniri posse in utroque domicilio, adeoque talia mobilia subjacent Statuto domicilii, ubi debitor desuper convenitur: & utroque hoc casu institui potest concursus creditorum.
5. *Queres* 2dò, quid si foris contractus celebratus, ubi per mores ejusdem loci Jus prælationis inter chirographarios competit, in loco verò domicilii nulla competit inter illos præferentia, num attendendus sit locus contractæ obligationis, num verò locus domicilii? primum videri posset, eò quòd obligationes dirigi soleant à loco, ubi contrahuntur, Masc. *de Statut. concl. 7. n. 80.* Verùm contrarium tenendum puto, respiciendum quippe esse locum domicilii, non locum contractûs, utpote qui eò duntaxat pertinet, quòd vel arctiùs vel remissiùs ex contractu suo teneatur ipse debitor, adeoque spectatur quoad ipsos contrahentes, qui eo ipso, quòd alio in loco contractum celebrent, ad ejusdem Leges, Formam, Modum, Conditionem, totam denique negotii naturam sui respectu componunt; etenim si quid non ab actu hominum, sed à potestate Statuti proficiscitur, cujusmodi sunt Prælationes, Privilegia, dicendum est vim Legislatoris nullam esse in bona sibi non subjecta respectu creditorum aliorum, qui nullum inibi gesserunt negotium, nec legibus loci istius se submiserunt. Rodenburg *t. 2. c. 5. n. 16.*

11. Quod & ampliatur, licet debitor tempore contractæ obligationis in loco, ubi viget talis præferentia, domicilium foverit, postmodum verò domicilium mutaverit; bona mobilia enim, in quibus prioris domicilii lege tenuit prælationis privilegium, traductis alio domesticis laribus, traducuntur quòque in leges novi domicilii, eaque lege administrantur, Burg. d. loco
12. n. 21. Hæc de mobilibus, transeam ad immobilia; & quoad illa pono hanc conclusionem: super præferentiâ in bonis immobilibus si cadat quæstio, semper attendi debet Statutum rei sitæ; itaque si Jus tacitæ hypothecæ non idem obrineat in loco rei sitæ, quod obtinet in loco domicilii debitoris, dicendum est, nihil egisse creditorem, qui hujusmodi hypothecæ prioritatem sibi comparavit, cum æquè atque expressim facto hominis coram uno Judicio hypothecæ nexu devinciri nequeant alterius territorii bona, ita nec Statuti ullius potestas est afficere prædia extrâ: posito, debitorem fallitum Mercatorem Colon. hinc creditoribus suis constituisse hypothecam omnium bonorum, moto concursu creditorum frustra prætendunt creditores
13. Colon. Jus hypothecæ in bonis immobilibus sitis in Ducatu Jul. & Mont. existente alio creditore habente in illis Jus hypothecæ, Rod. in Casu simili. Tit. 2. 6. 5. n.
14. Ratione hypothecæ coincidit Quæstio: num Statutum vel consuetudo, quâ tribuitur mulieri hypotheca in bonis mariti pro restitutione dotis, quæ præter Jus commune viget in locis, ubi illud observatur, afficiat bona extra illum locum sita, ratione quorum contrarium extat Statutum, etsi Christin in affirm. Sententiam inclinet, illâque variis & compluribus judicatis illustret t. 9. D. 4. n. 29. forsan eâ ductus ratione, quòd, sicut (ut ait) tacita communio bonorum, quæ viget in loco contracti Matrimonii, quia exordium sumit ab ipso Matrimonio, se extendit ad bonâ alibi sita, etiam hæc hypotheca, quæ quòque exordium sumit ab ipsis Matrimonii auspiciis, licet dos, cujus ratione competit, soluto demum Matrimonio exigatur, ex paritate rationis alia afficiat bona; negativam tamen defendere malo; quid enim Statutum Reale potest tribuere in rebus alieni territorii, in quo statuenti omnis deficit jurisdictio? L. fin. ff. de jurisdictione, Ratione mentionatæ dotis de dotalitio
16. Quæres, Cujus loci Statutum sit spectandum in eo lucrando, alibi, si contractum Matrimonium fuerit, alibi, si postea contrahentes domicilium constituerint; miror Sententiam Morn. ad L. Exig. dotem ff. de Jud. in fine, ubi dicit, placere fori peritioribus, ut uterque locus spectetur, tam instrumenti dotalis, quàm mutati domicilii, quatenus ambæ locorum consuetudines diversa de præstando dotalitio statuunt, quam Sententiam gignere absurditatem, in aprico est; nam si diversa de dotalitio sit loci utriusque constitutio; qui potest locus spectari uterque? nisi velit gaudere superstitem utroque dotalitio tam eo, quod locus contracti Matrimonii largitur, quàm quod mutati domicilii ut migratio adjectionem & auctorem dotalitii potiùs, quàm permutationem effecisse dici debeat. In aliâ atque meliore opinione est Burg. l. 2. n. 10. ut si rei immobilis dotalitium in controversiam veniat, semper
18. respici debeat locus rei sitæ, mobilis verò locus contracti Matrimonii. Sed distinguendum esse, ego existimo, inter dotalitium conventionale Statutarium vel consuetudinarium; circa dotalitium conventionale rei immobilis non tam attendendum est, utrùm in loco rei sitæ par de lucrando dotalitio exstet Statutum, quàm an in loco rei sitæ per pacta dotalia dotalitium constitui possit; si ita, rectâ viâ citra ulteriorem traditionem res aut jus in
19. rem contrahentibus acquiritur; Si verò locus rei sitæ non permittat, ut per pacta dotalia dotalitium contrahentes sibi constituent; comparata nihilominus est actio personalis ex conventionione descendens, quâ ad consequendum dota-

- dotalitium agit superstes, aut ut aliàs consequatur id, quod suâ interest, ipsum rei immobilis dotalitium habuisse, si ignarus istius Statuti sit à muliere de-
20. ceprus. De dotalitio Statutario rei immobilis verum est, quod & supra *Burg.* in terminis retulit, respiciendum scilicet esse locum rei sitæ, *Arg. dicto*
21. *tract. a 218. Gloss. 6. n. 46.* De mobilibus rei dotalitiæ si quærat, cum communi ferè sententiâ teneo, attendendum esse Statutum, sive consuetudinem loci, & in quo contractum est matrimonium & contrahentes aliquamdiu foverunt domicilium, non illius, quod postmodum maritus mutavit; quia dotalitium causam trahit, proceditque ab ipso Matrimonii contractu, non ab obitu alterutrius ex contrahentibus, aded ut stante matrimonio, sit illud in habitu, licet alterutrius morte exeat in actum, jus enim quæritur à nuptiarum die, Scöpping *de Mor. Paris. lib. 2. c. 2. n. 12.* quod per mutationem domicilii, quæ ferè pendet ab arbitrio solius mariti, mulieri in Jure antè quæsito præjudicari non debeat, & sicut jura communionis exiguntur ad tempus contracti matrimonii, ita & exiguntur dotaiitia, cum utrumque proficiscatur à voluntate contrahentium, quam incundo matrimonium habuerunt, *Rod. l. 2. C. 4. n. 5. l. 12.*

## T H E S I S X.

N. I. **I**N territorio A. invenitur Statutum, vi cuius primogenitus bonum stemmaticum das Adliche Ertliche Stam: Haus / & quidem inter plura optimum præcipit, quale Statutum viget in Archi - Diœcesi Colon vid. *Erz. Stiffts Cölln Rechts, Ordnung l. 5.*

In territorio B. Primogenitus nullam prærogativam præ cæteris habet; in hoc territorio optimum bonum stemmaticum situm est, in illo Primogenitus domicilium fovet. Hinc *Queritur* 5to, Num Primogenitus vi Statuti territorii A. bonum in territorio B. situm ut optimum capere possit? Ad resolutionem inspicere oportet, num Statutum territorii A. personale sit, quale videtur, quia Statum Primogeniti excellentiorem facit, atque ita mutans conditionem vel Statum hominis, num verò reale sit; quale esse ego firmiter teneo, quia circa ipsam Primogenituram nihil statuit, sed Primogenituræ certa bona attribuit, ideoque principaliter dispositio circa bona in Statutum venit, atque ita vi Statuti territorii A. ut realis, quod territorium non excurrit, Primogenitus bonum stemmaticum in territorio B. situm præ aliis sibi accipere non potest, sed bonum in territorio statuentis situm, vel si plura sint, inter illa optimum præcipiet.

2. Sed quid, si non diversa, sed eadem circa primogenituram concurrant Statuta, atque Statutum territorii A. Primogenitum præhabito bono stemmatico, cum reliquis fratribus vel sororibus in cæteris bonis æqualiter dividere debere disponit? simile Statutum invenitur in Territorio B. æquale in Territorio C. præcipiènt primogenitus vi Statutorum cujuslibet Territorii
3. bona stemmatica, in quolibet territorio sita? ex eo, quod præmissi, tale Statutum esse Reale, necessariò affirmativa sequi debet conclusio, atque ita primogenitus omnia præcipit bona stemmatica; subinde in aliis bonis æqualiter cum cæteris fratribus aut sororibus dividet; quodlibet enim Statutum sui territorii bona afficit, & secundum illud primogenitus succedere debet; e contra verò si Personale esset tale Statutum, quod non est, contrarium tenendum esset, quia tunc attendi deberet Statutum domicilii, & secundum illud præhabito bono stemmatico in territorio domicilii sito, in aliis omnibus bonis æqualiter cum suis fratribus vel sororibus succedere, illaque dividere deberet.

## T H E S I S X I.

- N. I. **M**Utatio domicilii quin mutantis novis subiciat Statutis, dubio caret: Hinc non ineptè *Queritur* 6<sup>to</sup>: Minorennis ætas, quæ hinc Coloniz ante completum 25. Annum non solvitur, an dissolvatur, si minor Colon. transmigret aliò, ubi 20. anno minorennitas finitur? Indistinctè affirmarem, transmigrationem domicilii minorem aliis subicere legibus; sed quia potestas transmigrandi non à minore, sed à tutore, sine quo minori nulla facultas est mutandi domicilium, dimetiri debeat: *Quæstio* in eo est, an tutor in domicilii mutationem consenserit, & hoc casu Colon. minor, si domicilium transferat in locum, ubi minorennitas 20. anno expirat, major fiet. Dissentiente autem tutore, minorem domicilium mutare posse, nego. Ex dictis sequitur, in casu converso indefinite dicendum, majorem in alio loco, ubi 20. anno minorennis ætas solvitur, si transmigret aliò, domiciliumque Coloniz foveat, evadere rursus minorem, *Roden. t. 2. C. 6. n. 5.* Quia majori alibi libera est facultas mutandi domicilium, sibi que id, quòd antea major, mutato domicilio se iterum tutelæ subjecerit, imputare debet. Nec absurditas aliàs deesset, si talis inter omnes loci mutati domicilii incolæ, qui completo nondum 25. Anno tutelæ detinentur, solus sui Juris ambularet. *Burg. dicta L. 2. n. 5.*
2. De Personis vidimus, qualem mutationem causet mutatio domicilii; nunc videamus de rebus, non immobilibus, quia hæc perpetuò sui territorii regulantur legibus, atque ita nulla mutatio intrare potest; Sed de mobilibus, qualem mutationem gignat translatio domicilii. Ponamus, incolæ Ducatus Jul. & Mont. ubi 2<sup>dum</sup> Ordinationis *Cap. 95.* ultimus, superstes est Hæres mobilaris, hinc Coloniz mutato ex Ducatu domicilio larem foveat, hincque alter è vivis relictis liberis decedit, utrùm mutatio domicilii efficiat, ut non debeat attendi Statutum prioris domicilii, seu Ducatus Jul. & Mont. sed Statutum hujus Urbis? *Resp.* Apud me certum esse, successionem circa mobilia futuro tempore acquirenda debere fieri secundum Statutum hujus Urbis, atque ita juxta *Art. 12.* Statutorum Colon. Dixi quoad mobilia futuro tempore acquirenda; nam quoad antè acquisita debet attendi mens mutantium domicilium, & conferenda sunt dicta superiùs *Tb. 6. n. 34.* Quoad solemnitatem requisitam circa actum aliquem attendi debere locum, ubi conficitur, suprà asserui, nec ullam unquam induci posse mutationem Juris mutatione domicilii, verum est; etenim, quia foris celebrare licet actum secundum loci illius exteri morem, qui non desinet valere, etsi domum reversus fueris, utique perdurabit ille Actus. quem in loco feceris domicilii, licet ex post illud mutaveris, *Peck. de test. Conjugum Lib. 4. C. 25.* Unde testamentum Civis Colon. factum coram Notario & duobus testibus, transmigrantis in Ducatum Jul. & Montium, non perdidit vires suas, etsi in Ducatu Jul. & Mont. ad validitatem testamenti major requiratur solemnitas.

## T H E S I S X I I.

- N. I. **C**Um in omni Jure diversitas Statutorum diversas quandoque & dubias causet quæstiones: Hinc *Queritur* 7<sup>mo</sup> ex Jure feudali: Utrius loci leges inspici conveniat, loci ne servientis, an dominantis? Sicut quæstio incidat de successione, de contractu, vel alio feudi Jure, non de legibus Politiam seu civilem administrationem respicientibus, *Burg. ad Leges Fland. t. 7. Frid. à Sande ad consuet. feud. Geld. t. 3. C. 5. n. 11.* Occurrentibus Statutis contrariis respici volunt Statuta Curiz dominantis, eò quòd leges

- leges feudales metiri oporteat à providentiâ Domini directi, ut quascunque ille leges in feudi concessione dixerit, ea à vasallis sint custodiendæ sine loci alterius consideratione, adeoque quoties instrumenta Investituræ ejus, quod quæritur, non meminerint, recurri oportere ad Jura loci dominantis, quia Dominus directus ea omnia videretur direxisse ad Statuta suæ Curia, ubi & præstationem juramenti aliorumque solemnium, seu investituram intervenire voluit. Verùm contrarium tenere malo, respicienda scilicet esse Statuta loci servientis, sive loci ubi feudum situm est, si Investitura clara quæstionis interpret non sit; Rosenthal *de Feud. Cap. 1. concl. 15. num. 16. 21. & 31.* Clarè decidens, observari & attendi debere locum feudi siti. Etenim deficiente jam aliquâ investituræ lege non puto Dominum ad locum curia dominantis respexisse; sed si de novâ aliquâ lege, non appareat, dicenda esse relicta feuda veteri sui Juris dispositioni nihilo prorsus mutato, de quo per tenorem investituræ aliter non est provisum; hinc de successione Feudi, si investitura nihil cantet, attendendum dico Statutum loci Feudi siti, seu loci servientis. *Wamf. Cent. 5. Constit. 5. n. 3. & 4.*
3. Hoc autem lubens annuo, à concessione seu providentiâ Domini directi Feudi leges dependere, ut quam Patronus succedendi legem in feudi concessione dixerit, ea pro lege sit servanda, adeoque reprobanda sententia putantium, in potestate Domini directi non esse feudum unius territorii legibus succedendi causâ subducere, & ad jura componere alterius; Rosenthal *loc. cit. num. 8.* dicens ibidem, Dominum directum statuere posse, ut observari debeat locus suæ curia, non rei sitæ, quid enim notius, quàm feuda ad posteros deferri ex lege investituræ, cui succedendi modus ferè inseritur, unde illa vulgata: feudum ex pacto & providentiâ majorum. Feudum pro se & descendantibus. Pro masculis exclusis foeminis. Et si quæ ejus generis plura sint: ante omnia enim sequimur, quod inter contrahentes actum est tenore investituræ naturam feudi informante. *Grot. in Manud. l. 2. p. 41. n. 8. Et certè.* Et quid mirum, rei suæ Dominum legem adjicere posse, quam voluerit, cum & pactis dotalibus ordo succedendi introducatur, alius ab eo, quàm fert locus rei sitæ, & cujusvis hominis testamentaria provisio tollat provisionem legis. *Rodenb. tit. 2. C. 5. §. 17.*
4. De Quæstionibus feudalibus vel controversiis ventilandis, quoad modum & ordinem procedendi attendi debere leges vel Statuta curia dominantis, nemo erit, qui in dubium revocet; hoc enim censetur ita inter partes actum, eò quòd Dominus directus curiam ideo sibi constituerit, quodque ejusdem curia ad nihil aliud spectet, quàm ut in illâ de feudalibus quæstionibus discerneretur & judiciales feudi traditiones peragerentur; lis enim, vel modus procedendi semper regulari debet more loci, ubi ea peragitur.

## T H E S I S XIII.

N. I. **C**onflictus Statutorum frequenter etiam occurrit in materiâ Canonica, Festorum, Jejunii, & Abstinentiæ; ubi dico primò, peregrinus veniens in locum, ubi ex Statuto speciali est festum, jejunium, vel abstinencia, non ligatur hoc speciali Statuto, nisi vel longiore tempore in loco commoretur, aut aliàs ratio scandali subsit. *Engel. ad jus Canon. de legibus n. 33.*

2. Dico 2dò: Potest peregrinus se Statuto loci, per quem transit, statim conformare, ut peregrinando per Hispaniam diebus Sabbatinis vesci intestinis animalium. *Engel. l. cit. n. 34.*

3. Dico 3tiò: Veniens ex patriâ, ubi speciale Statutum fuit, in terram, ubi jus commune viget, statim se huic conformare tenetur. Engel. *loc. cit. n. 28. & 34.* Plures similes possent moveri quæstiones, ut, si in loco domicilii sit speciale festum, an inde horâ 8vâ, nonâ, vel decimâ vel duodecimâ migraturus aliò, ubi hoc festum non est, priùs in loco domicilii, antequam iter auspicetur, Missam audire debeat? item, si in die suscipiendi itineris sit jejunium, vel abstinencia in loco domicilii, unde eâdem die intender aliò concedere, an jejunare, vel abstinere teneatur, donec excefferit territorium sui domicilii? tales inquam & plures similes solent moveri quæstiones; sed quia merè Theologica sunt, & ad forum internum pertinent; capropter ad Theologos remitto.

Promorali Thesium de *Conflictu Statutorum* Epilogo, Hussæus Vates in Lege Veteri bene vitam hominis super terram indigitat ac definit militiam; in Lege Novâ magnus Præco Gentium adstipulans, sese certamen bonum certavisse, ideòque repositam sibi esse Coronam justitiæ, sanctè gloriatur: cùm proinde nemo ullus à Statuto confligendi æquè, ac moriendi sit eximius, si spem triumphandi conceperit; didacticum subjicio

DVplex VIatorI CabaLVM:

Lis	modò	;	Conflictu	pugiles	ornemus	arenam:
119.	134.		431.	391.	495.	157.

Summa 1727.

Justitiæ	Statam	profers	Themis	eja	Coronam!
523.	322.	371.	242.	15.	254.

Summa 1727.



## COROLLARIUM.

I.

Statutis Principum, vel Magistratum Laicorum obligantur non solum Statuentium subditi, sed & forenses, advenæ: Et quidem 1mò: ratione veltigalium, pedagogorum, tributorum. 2dò: ratione ordinis processûs in loco statuentis prosequendi. 3tiò: Solemnitatibus ad contractum in loco, ubi celebratur, requisitis, quoad bona in territorio statuentis sita & onera bonis imposita.

II.

In materiâ communi Laicis & Clericis, etiam Clerici Statutis Laicorum Principum ligantur indirecè nimitum, Engel. *de Constit. n. 35. vers. dim. Puring. eodem tit. n. 79. & seq.* Unde infertur, quòd Clerici in Ducatu Jul. & Mont. debeant testari adhibitis notario, vel parocho, insupérque quatuor testibus, ut requirit Statut. Jul. in testamentis, referente Voetz. *in hist. Juliac. n. 41.*

III.

Quæstio difficilis. An bona ab ante tributaria, postea translata vel devoluta ad Ecclesias, Monasteria, vel Clericos transeant cum hoc onere, vel post talem transitum deinceps evadant libera? fieri liberas defendit Puring. *extra de immunit. Eccles. n. 75. & seqq.* Contrariam tamen sententiam probabilem dicit Engel. *cod. tit. n. 26. in fine*, quam absolutè tenet Gail. *lib. 2. obs. 32. n. 7.* Quam utpote ex Doctorum Authoritate probabilem, & in multis locis usu receptam erroris damnare non audet ipse Puring, etsi de cætero acerrimus adversariæ sententiæ defensor & propugnator.

IV.

## IV.

Clerici tenentur ad onera singulorum singularia, hinc sicuti tenentur singuli reficere viam ante domum suam, *l. fin. ff. de via public. & itin. reficiend.* Ita & Clerici obligantur, uti post Abbatem rectè tradunt. Engel. *de immunit. Eccles. n. 26.* Pyring. *eodem n. 77.* quam sententiam probat, limitatè tamen, ut Clerici tunc ab Ecclesiasticis cogi debeant, P. Lacroix *lib. 4. de immunit. Cleric. n. 1382.*

## V.

Ad reficiendas vias publicas, pontes & fontes, aut muros Civitatis vel ad comparandam annonam pro tempore, quo imminens obsidio timetur, multi apud Pyring. *d. n. 77.* tenent Clericos debere contribuere; negativam tamen Theologorum & Canonistarum hodie communiorem defendunt Pyring. *l. cit.* P. Lacroix. *l. cit.* dicens, non teneri Clericos contribuere ad illa, quæ immediatè & directè cedunt in utilitatem publicam: mediatè verò tantùm ad utilitatem Clericorum. Non obstante, quòd eà refectioe viarum & pontium Clerici quòque commodum sentiant, & hinc videatur dicendum, quòd & onus contributionis ratione commodi subire debeant; quia in compensationem horum commodorum Clerici habent onus, quòd administrent spiritualia, & hinc intrat dictum Apostoli: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus.* Pyring. *extra de const. n. 83. & 85.*

## VI.

Quòd si tamen necessitas vel communis utilitas non respiciat Clericos remote, & in consequentiam, quatenus sunt pars & membra reipublicæ, sed directè & immediatè & æquè principaliter, ut si vermes depopulentur agros, vel aquæ sint inundaturæ prædia, aut agri debeant irrigari per aquæductum. Tunc Ecclesia & Clerici debent contribuere, non tamen cogendi, nisi per Superiorem Ecclesiasticum. Pyring. *de immunit. Eccles. n. 29.*

## VII.


Si tempore penuriæ Statutum à Laico sit Magistratu latum, ut frumenta certo taxato pretio vendantur, eo etiam Clerici ligantur quoad vim directivam; & si Judex Ecclesiasticus Clericos nollet cogere, vel ad eum non daretur recursus, tunc Laici possent titulo defendendi vitam pretio statuto arripere sibi necessaria, P. Lacroix *l. cit. in fin.*

## VIII.

Clerici immunes sunt à vectigalibus & teloniis: Item gabellis & accisiis pro vino, carne, & aliis victualibus, non tamen ultrà, Engel. *de immunit. Eccles. n. 29.* Nam quod ultra erit ad quæstum Clericis prohibitum *tot. tit.* ne Clerici vel Monachi.

## IX.

Quæritur, an Statutum Laicorum prohibens bona stabilia deferri ad Ecclesias, Monasteria vel Clericos, item ut Clerici non succedant nisi in usufructu, justum sit? &c. originaliter de se quidem non valere, interim defendi posse, tum ob publicam necessitatem, tum ex tacitâ Pontificis conniventia, & sic viget Stat. in hac urbe; ne immobilia transferantur in manus mortuas, Monasteria vel Clericos, *vid. Stat. Col. fol. 64. art. 45. & seq.* Ita pariter concordata inter Ducem Jul. & Mont. & Marchionem Brandenburgicum, ut in terris ipsorum jurisdictioni subjectis bona non transferantur ad manus mortuas, id est; Monasteria & Clericos: Item Statutum Juliac. *in ord. C. 93. & 97.* ut Clerici tantùm in immobilibus succedant usufructu tenus.



AppLaVsVs gerMano VersV pro graDV

LICentlæ , \*

Ex Programme :

JOANNES HENRICUS,

Anagramma,

ANNOS VINCIS HERE.

**N**ominis è testo nucleum si cortice demo,  
Numen inest : *Annos numine Vincis Here.*  
*Palladis è campo Themidis mox castra secutus,*  
*Quàm docilis laudes fers utrobique graves !*  
*Laurea post Studio partas Tibi debita laudes ;*  
*Laurea Conflitu jam venit æqua novo.*

LVCtatorI De La Vreâ eX arenâ Manentē aggratav

Johan Abraham Schröder SS. Theolog. Licentiatus,  
Pastor in Niederbachem.



Applausus II.

Ex eodem Programme

Anagramma :

ANNE VINCIS HEROS?

**M**erx bona ceu nummis, emitur Victoria pugnīs,  
Asperius belli gloria calcat iter.  
*Pallada Victor ovans recreas, HENRICE, Togatam ;*  
*Quam colis, Heroēm Te colit æqua Themis.*  
*Anne studens Heros vincis ? canit Ubia plausus,*  
*Delicio flectens Serta decora suo.*

affInI eX CorDe VotVM ContestatVr

Johan Arnoldus Kappenhagen Medicina Doctor.

